Al [illegible] e [illegible] Padre Antonio Angelini [illegible] nel Collegio Romano [illegible] omaggio dell'autore

IOSEPHI ROSSII

CARMINA

EDITIO TERTIA
AB AUCTORE EMENDATA
ET PLURIBUS LOCUPLETIOR

FAVENTIAE
EX OFFICINA PETRI CONTII

—

AN. MDC[illegible]

IOSEPHI ROSSII

CARMINA

EDITIO TERTIA
AB AUCTORE EMENDATA
ET PRIORIBUS LOCUPLETIOR

FAVENTIAE
EX OFFICINA PETRI CONTI

AN. MDCCCLXVII.

HENRICO BINDIO

PONTIFICI

PISTORIENSIUM ET PRATENSIUM

VIRO CLARISSIMO

IOSEPHUS ROSSIUS

Quod geminum Latiæ ac Thuscæ, Bindi inclyte, linguæ
Sermonem et nostram diligis Italiam,
Ultro Italus tibi non dubito deferre libellum
Compositum e Thuscis versibus et Latiis:
Hunc si suscipias, linguam bene doctus utramque,
Atque meos versus esse putes aliquid,
Non alium quæram præclaræ laudis honorem,
Namque erit hæc laus e laudibus eximiis.

Faventiæ Nonis Sext. An. MDCCCLXVII.

CARMINA SACRA

ALLA VERGINE DELLE GRAZIE

CANZONE

Donna, che solo al tuo Figlio seconda,
Di stelle redimita,
Nel Paradiso stai Regina, ed odi
I preghi umani, guardami seconda,
E mi largisci aita;
Chè senza Te non basto alle tue lodi;
Dammi, che al canto snodi
La lingua in dolce suon; già fa ritorno
Quel benedetto giorno,
Che gli avi a segno della tua mercede
A Te sacraro con verace fede.

Tu se' detta fontana d' ogni grazia,
Che di lassù ne piove,
Perchè risponda al fatto il nome ancora:
Di niuna cosa tanto si ringrazia
Colui che il tutto muove,
Quanto di Te: Tu gloriosa ognora
Imperi, o gran Signora,
Laddove il ciel del tuo fulgor s' abbella;
Maraviglia più bella
Non mirò il Sol, nè sarà mai che miri,
Finchè d' intorno a lui la terra giri.
Quale in tempesta al trepido piloto,
Che invan fatica e s' ange,
Surge stella propizia e lo rinfranca,
E acqueta i nembi e il furïar di Noto;
Tal se trambascia e piange
La gente da perigli afflitta e stanca,
Tuo soccorso non manca;
Ratto sorridi, e volgere hai vaghezza
Il duolo in allegrezza;
Chè per natura, Vergine beatrice,
Senti nel cor pietà dell' infelice.
Tu l' arme in mano al tuo Figliuol rattieni,
Se intende alla vendetta;
Tu, perchè il vol tra nubi allenti o fermi,
L' impetüosa foga al folgor freni;
O dell' aspra saetta
Frangi la punta con le mani inermi
A noi securi schermi;
Ch' incontro a quelle ogni telo mortale
Debil diventa e frale,
E, ove ti pieghi alla mercè del rio,
S' ammorza l' ira dell'offeso Iddio.

Per ignoto vapor trabalza e mugge
Il suolo ; ecco cadute
Torri ; sovrasta l' ultima sciagura ;
Con affannata lena il popol fugge,
E a Te chiama salute ;
Ha dipinta nel volto la paura :
Quand' ecco n' assecura
Il tuo Nume, che accoglie il nostro voto,
E ognun grida devoto ;
A Te sien grazie ; a Te nel Tempio adorno
Sia sacro al volver d' ogni Sole un giorno.
Oimè! forse a punire umane colpe
Nell' Itale contrade
Morbo imperversa, e avventasi alla gente
Qual foco all' esca, od alle biade golpe ;
Par muta in ciel pietade ;
Cadon le vite a mille a mille spente ;
Ma, tua mercè, non sente
Questa Terra gentil, Vergine, il danno,
Poichè nel greve affanno
A Lei Tu inchini le luci serene ;
E qual è grazia, che da Te non viene?
Te prega in atto supplice il colono,
Quando la speme falla,
Ond' ha di stretta povertà timore,
E, quale chi d' altrui desia perdono,
I modest' occhi avvalla ;
Tu gli conforti lo smarrito core,
E compresa d' amore
Torni la messe sterilita in verde :
Suo sperar si rinverde :
Cotanto puoi lassù, Vergin pietosa,
Cotanto affidi ognun che in Te riposa.

Noi fortunati, come i Padri nostri!
Se adoriamo devoti
A Lei, che dalle Grazie il nome prende,
A Lei Regina de' superni chiostri,
Che disïosa i voti
Ascolta, e in viva carità s' accende,
E la mano distende
Liberalmente a chi la chiama e prega,
E tal virtù dispiega,
Ch' alla Misericordia la Giustizia
Volge, e di pianto fa nascer letizia.
Canzon, s' ami drizzare al cielo il volo,
Tienti l' abito umìle ;
Rado superbia levasi dal suolo.

MARIAE VIRGINI

MVNIFICAE EXORATAE
IN CVIVS TVTELA VRBS FAVENT. EST

ELEGIA

Ecce anno volvente iterum, qua nulla renidet
  Candidior nobis nec mage laeta dies;
Ecce redit, miseri cives, qua ferre solemus,
  Patrona o Virgo, vota precesque tibi,
Ac tua conventu celebramus templa frequenti,
  Dum fumant sanctis thurea dona focis;
Tum resonae gratis permulsae cantibus aurae
  Insolita complent pectora laetitia.
Nunc coelo descende, tuisque illabere templis,
  Vultu nos sacra luce vide placido,
Virgo, qualis avos olim es dignata videre
  Miratos rerum, te auspice, prodigia;
Quare posteritas te nomine grata vocamus
  Munificam, inque tua nos sumus, alma, fide:
O bene factum! quandoquidem, ceu Solis amica
  Obscuro nubes exigit aura polo,

Sic mala tu semper gaudes, mirabile dictu!
  Longius e nostris pellere limitibus,
Quae Pater haud raro terris mittit metuenda,
  Humanam poenis terreat ut sobolem;
Cum persaepe sui oblita, et virtute relictâ
  Non minor, heu! magno se gerit illa Deo.
Ergo te freti non motum expavimus imae
  Telluris, casu quo graviore cadunt
Urbes, non quae olim veloci fulmina lapsu
  In terras rutilo rupta ruunt tonitru.
Dira lues Italas nuper bacchata per oras,
  Squallida tristitiam et funera ubique ferens,
Nequidquam domibus meditata pericula nostris
  Nos per te incolumes invida deseruit:
Ut, fido munitum aggressus ovile molosso,
  Frustra ululans queritur furta negata lupus.
Quare te colimus meritoque colemus honore,
  Qua sine proh! miseros quot mala nos agerent!
Qua sine vita foret letho prope amarior ipso,
  Mentem animi curae dum trepidae excruciant.
Verum sollicitos miserata, o candida Mater,
  Gnatos laetaris spe recreare bonâ;
Nam tu Mater amas dici, mandata recordans
  Ultima, Dia dedit quae tibi Progenies;
Cum sanctos lacerata artus, ludibria vulgo,
  O pudor! haereret, te lacrimante, cruci.
Te Patrona igitur, teque auspice, maxima Virgo,
  Stat nobis laetos vivere posse dies.
O utinam nobis largiri munera perge,
  Et tua fac nobis gratia sit propria!
O coelo descende, tuisque illabere templis,
  Ac solare Urbem, Virgo benigna, tuam,

Quam quoniam dono pulcras florere per artes
  Annuis, Aemiliae et fulgere delicias,
Sic, precor, illa tuo magis et magis inclyta dono
  Floreat, ac seclis innumerabilibus.

EIDEM

ELEGIA

Non secus ac brumam genitalibus exigit auris
  Informem Zephyri ver comes, et reparat
Agros, atque iterum mentes in gaudia poscit
  Nimirum pacis laetitiaeque dator;
Aut veluti gemini lucentia sidera fratres
  Nigro deprensis turbine spem revocant;
Sic tu, fortuna cum nos versamur iniqua,
  Mortales duro quae regit imperio,
Gaudes sollicitis hominum succurrere votis
  Virgo, ac in risum vertere tristitiam;
Per te namque ferunt consumpto munere vitis
  Tunc rediisse novis gaudia coniugibus,
Cum stupefacta suo rerum natura magistro
  Paruit, in vinum versaque lympha merum.
Quid mage te dicam nostris optabile rebus?
  Nam quodcumque rogas annuit Omnipotens,

Qui Deus illabi intemeratae virginis alvo,
Et se se humanis artubus induere
Mente agitans, rursum ut coeli postes aperiret
Primaevi patris flagitio vetitos,
Te prae aliis unam tanto dignatus honore est:
Tum facta aeternae dia parens sobolis;
Tum, decus o coeli luna formosius alba,
Circumiere tuum sidera fulva caput:
Et tibi sorte datum est reginam invisere terras,
Confectos curis et recreare animos;
Quare ubi coelestes lethali flamine tractus
Corrumpens hominum corpora dira lues
Demetit, ac saevum lenire indocta furorem
Sanguine purpurea falce superbit ovans,
Quam prope sectatur cultus imitata ferinos
Et semesa manus et macilenta fames;
Aut ubi terra imo tremefacta atque excita fundo
Late deproperat funera et exitium;
Aut aliis foede urgemur cum mille periclis,
(Proh natum misera conditione genus!)
Te bene munificam venerati iure precamur
Terrigenae sanctis non sine muneribus;
Quandoquidem semper nostros miserata labores
Fecisti voti nos, bona Virgo, reos.
Salve igitur patriae tutela o maxima nostrae,
Lenis et hoc festo labere ab axe die,
Labere; sollemni tibi iam, quacumque recedunt,
Amplifice cultu templa decora nitent;
Iam sursum halantis tollunt se nubila thuris,
Iamque hilarat feriens aera dulce melos:
O Mater, facili natos, precor, aspice vultu,
Dilecto miseros nos fove amica sinu;

Auguror; infernam repetat, te vindice, sedem
  Culpa iterum ad nostras non reditura plagas,
Quae fera bacchatur vasto saturata triumpho
  Pernicies saecli, incommoda et opprobria,
Auguror, inque vicem virtus diffulgeat, et pax
  Haereat amplexu candida iustitiae.

EIDEM

Virgo coelipotens, age,
    Festum quando refert lucidus annuum
Sol, adsis, precor o precor,
    Nobis, ut soboli mater amans suae:
Nam, devota cohors tibi,
    Nos multâ colimus te facilem prece;
Laudes concinimus tibi
    Primo mane, nitens cum exoritur dies;
Sero vespere, cum bonam
    Nox affert requiem muta laboribus.
Largâ munera quod manu
    Praebes, munificam te bene dicimus,
Laeto carmine dicimus
    Te nostrae columen te patriae decus.
Quem vultu placido aspicis,
    Felix nil metuit, flagitio procul;

At quem non placido aspicis
    Vultu, laetitiam nescit et angitur
Curis adsidue malis
    Festinans merito supplicium sibi,
Si non cum lacrymis tua
    Perrepat genibus limina, votaque
Suspendat tacito labro, ut
    Securus redeat, Virgo, tuam in fidem.
Sed cui non tuus est amor
    Cordi? te iuvenes delicias suas
Dicunt, et queruli senes
    Te solatia te gaudia sentiunt;
Te freta, urbs mala non timet,
    Quae terrent miserum saepe hominum genus,
Nostris sub pedibus tremat
    Tellus, sive lues tabida saeviat;
Ut rupes medio in mari
    Contemnit tumidas Oceani minas.
Artes nos apud, et probi
    Mores nempe tuo munere adhuc vigent,
Ipsa et Relligio viget,
    Quae sola ad superas sternit iter domos.
O serves, precor, haec bona
    Nobis, atque diu, Virgo, nepotibus.

MARIAE SANCTAE

PRIMIGENIAE LABIS EXPERTI

ELEGIA I

Et me dulcisonos impellere pollice nervos
  Nunc iuvat, et festis ludere carminibus,
Et declarantem felicia gaudia vultu
  Promere iucundo laetitiam ex animo;
Quandoquidem lux alma redit tibi sacra quotannis,
  Virgo, dulcis amor, fidaque spes hominum,
Unica quae primi post impia facta parentis
  Foemineum inlapsa es non temerata sinum,
Pulchrior ut Sole et Luna formosior alba
  Divina mater digna fores sobole,
Quae terris immissa, nefas ut turpe piaret,
  Redderet et miseris spem bona terrigenis,
Et vetita aetherei reseraret limina coeli,
  Optavit saevae mortis adire gradum.
Iure igitur magni Regina incedis Olympi
  Vincta gerens serto tempora sidereo,

Aligera et circum pubes velut agmine facto
  Laudes usque tibi concinit innumeras,
Fertque tibi, quas nos miseri persaepe solemus
  Fundere odorato non sine thure preces ;
Namque solum ante tuas genibus perrepimus aras,
  Et bene te facilem, Virgo, rogamus opem;
Qualis adit matrem trepidis in rebus amantem
  Gnatus, quae curam sollicito relevet.
Iure igitur nuper te maximus Urbis et Orbis
  Arbiter, applausu dum sonat aura novo,
Et qua Sol oritur, maris et qua conditur undis,
  Quaque aestus furit, et qua nebulae atque hiemes,
Expertem labis te certe ab origine prima
  Veridico Nonus protulit ore Pius ;
Scilicet ille memor, quod, postquam in colle Quirini
  Eheu! fatali nocte proterva cohors
Ipsius admovit crudelia sedibus arma,
  (Non aliter circum septa lupus pecoris
Impastus bacchatur) te duce, te auspice, Virgo,
  Mirifico nactus tutum iter effugio est,
Mirifico effugio! recolent quod saepe nepotes
  Grati, quod non unquam ulla dies taceat.
Eia, age, solemnes quando instaurantur honores,
  Et statuit meritae dedita Roma tibi,
Ceu votum, pignusque suum immortale, columnam
  Alte marmoream, qua super aerea stes,
O coelo descende, tuisque inlabere templis,
  Nos multa exaudi, Virgo, vocata prece.
Adsidue a teneris si te suspeximus annis,
  Si nos adsiduis afficis officiis,
Exige limitibus mala nostris, nubila ut Eurus,
  Et, quaeso, nobis otia, ferque decus.

1 - Haud inopportunum videtur hic adscribere litteras meas ad Pium Nonum Pont. Max. Eiusque epistolam, qua dignatus est respondere mihi auso Ei mittere nonnulla huiusce Elegiae exemplaria.

PIO IX. PONTIFICI MAXIMO

IOSEPHVS ROSSIVS

S. P. D.

Nuper die festo recurrente Mariae Sanctae primigeniae labis expertis Elegiam latine a me conscriptam, quae Illam caneret, meumque propter multa et maxima Eius in me merita gratum animum proderet, obsequiumque significaret, in vulgus edidi. Sed quoniam de Illa dici nequit, quin de Te quoque, Pontifex Maxime, fiat recordatio, cui abhinc duos annos e Petri Cathedra Mariam primigeniae labis expertem declarare Divinitus contigit, egi equidem ut Tu in meo carmine ipse clare eluceres. Quod tanto egi libentius, quantum nil Te mihi est antiquius sanctiusque. Saepius enim mihi venit in mentem benevolentia illa, vere paterna, qua me dignatus es et coram cum essem in Foro Cornelii, et absens istinc litteris sane humanissimis. Qua fretus benevolentia nonnulla praedictae Elegiae exemplaria tibi nunc mittere non dubito, cum sit mihi persuasum fore tibi gratum acceptumque me quidem aliquod decoris Illi tribuisse, cui tantum Ipse tribuisti. Interea gaudeo mihique gratulor, quod hanc occasionem arripuerim ad testificandam meam erga Te observantiam meumque desiderium, ut Deus opt. max. Te diu servet pro salute ac dignitate Christianae reipublicae. A Te autem peto, ut mihi, uxorique meae, et duobus tenellis gnatis Apostolicam Benedictionem impertire velis. Vale.

Faventiae xv Kal. Ian. MDCCCLVII.

DILECTO FILIO IOSEPHO ROSSIO

PIVS PP. IX.

Dilecte Fili salutem et Apostolicam Benedictionem. Libenti quidem animo tuas accepimus litteras eximiae in Nos pietatis et observantiae sensibus exaratas, quibus plurima latini quod composuisti carminis exemplaria ad Nos mittere voluisti. Necquidquam aut iucundius aut acceptius magis prae argumento quod celebrandum carminibus studuisti. Facit hoc quidem ad tuam et pietatem et devotionem in Virginem et Dei Matrem Sanctissimam ab Origine Immaculatam magis ac magis ostendendam; nec ullum profecto capies, Dilecte Fili, detrimentum, donec potentissimo eiusdem Coeli Reginae et Mundi Dominae fruaris patrocinio. Ipsi Te, Uxorem, Filiosque Tuos maiorem in modum commendantes, omnium auspicem coelestium bonorum Apostolicam Benedictionem intimo paterni cordis affectu Tibi eidem, Dilecte Fili, Tuisque omnibus amanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Ianuarii Anni 1857. Pontificatus Nostri Anno XI.

PIVS PP. IX.

AD

SANCTVM ANTONIVM IVNIOREM

ELEGIA

Nunc ego persolvam promisso in munere versus,
  Haud mora, dum redeunt annua festa tibi,
Ac tua vernanti conspersa altaria flore
  Halant, innumeris et rutilant facibus,
Sancte, Tagus quo praecipue gavisus alumno est
  Aurifer, o magnis addite Coelicolis
Iam decus eximium, cui sacris ossibus aucta
  Devota urbs Patavi pro tumulo posuit,
Quod staret gaza fulgens et marmore templum,
  Atque domus speciem redderet aethereae;
Cui, spirantis adhuc venerans miracula linguae,
  Adsiduas fert, non murmur inane, preces:
Haud mora, te, Antoni, laetanti pectore dicam,
  Quamquc vides placido lumine terrigenas:
Quandoquidem ut tristi prope iam sata perdita bruma
  Permulcens reficit, vere novo, Zephyrus;

Utque herbas recreat, campos torrente Leone,
  Effusa aridulas imber amicus aqua;
Sic hominum a diro truculentae limine mortis
  Corpora saepe tua restituuntur ope.
Tu facilis nigro succurris in aequore prensis,
  Ac tutum cymbam litus adire iubes:
Si quando illacrimans in rebus pauper egenis
  Te rogat, hunc voti tu facis usque reum.
Vindice te, Stygius non raro destitit anguis
  Torquere humanum perfida ab arte genus;
Vindice te, saevum negat urbs, tua cura, tyrannum
  Moenibus instantem pertimuisse; tuae
Ille etenim valido perculsus verbere linguae
  Et posuit furias obticuitque metu;
Non secus ac torrens, hibernis imbribus auctus,
  Diluviem cultis cum minitatur agris,
Acria si ad firmas infregit cornua ripas,
  Assuetam innocuus cogitur ire viam.
Pisces auditum te dogmata dia docentem
  Adcurrere simul litus in Hadriacum,
Mulaque Bonvilli sub imagine panis adorans
  » Qui mare qui terras qui supera alta regit »,
Poplite submisso, iucundaeque immemor herbae,
  Quamquam impasta, tuo paruit imperio.
Tu potes aethereo deducere ab axe Tonantem,
  Qui tibi mellitus rideat ante puer.
Tu potes in trepidis genitori afferre salutem,
  Rerum natura tunc, reor, attonita,
Cum repetis patriam celeri velocior Euro,
  Cogis et exstinctum denique vera loqui.
Ergo te nostri valde coluere parentes,
  Et sua sacrarunt omnia seque tibi;

Saepe tuo caros dixerunt nomine gnatos,
  Ut mage devoti sic tibi, Sancte, forent;
Saepe etiam domus illorum, memorabile signum
  Praesidiumque, tuam praetulit effigiem.
O ter fortunatus, qui nomen tenct a te,
  Noster amor certe, candidus ille puer,
Quem mihi iam coniux, solamen dulce laborum,
  Optatum peperit numine freta tuo;
Postquam ter cara viduatus prole, rapaces
  Cui mors iniecit, proh dolor! atra manus,
Sollicitus multis implevi sidera votis
  Moerentem laeta spe rolevans animum.
Ille quidem, te patrono, teque auspice, nobis
  Succrescat, quo non alter amabilior;
Ille sciat primis virtutem quaerere ab annis,
  Sectari et diae Relligionis iter;
Ille sciat toto venerari pectore, dici
  Mater amat merito quae bona terrigenûm;
Sic et felicis producat tempora vitae,
  Et volet ad sedes morte obita aethereas.

IN RELLIGIONEM

ODE

Diva, quae, magni soboles Tonantis,
  Lapsa de coeli domibus iacentes
  Candida invisis, recreasque grato
      Lumine terras :
Quam tenent montis iuga Vaticani
  Integra semper viridem iuventa ;
  Cui sacro fumant pia thura odore
      Tempus in omne :
Voce Te dicam, ac fidibus canoris,
  Alma, quae, fractos miserata casus
  Rerum, ades nobis columen, malorum et
      Dulce levamen ;
Tu quidem caecis soluis tenebris
  Obsitas mentes, et iter beatas
  Sternis ad sedes, et ubique fulges
      Sidus amicum,

Moribus solers animos decoris
  Fingere, ac nisu vitium potenti
  Docta de terris agere, atque Averni
    Trudere in antra.
Te duce, haud raro potuere castum
  Simplices agmen pueri et puellae,
  Corde gestantes animos viriles,
    Spernere lethum;
Namque, dum manat cruor, immerentes
  Hostias circum crepitante flamma,
  Lenis arrides, et agis superbos
    Laeta triumphos.
Ter, precor, salve, genus o Tonantis,
  Fausta terrarum requies, diuque
  Fausta nos inter vigeas, ferasque
    Munera pacis.
In tuum si quis malus ora solvat
  Numen, aut saevus manibus capillos
  Sit tuos ausus temerare, Dias
    Sentiat iras,
Foeda quas olim Sodoma: irruentem
  Haec Deum risit jaculis: ab axe
  Tum vorax ignis cecidit scelestos
    Perdere cives.

DOMINICAE FILIAE SVAE

DONAT IMAGINEM B. M. VIRGINIS
TITVLO - AVXILIVM CHRISTIANORVM -

EPIGRAMMA

Si tu semper ames divinam, Filia, matrem;
Crede mihi, felix haec tibi semper erit.

CARMINA MORALIA

AD CAROLVM PELLARINIVM

SACRIS CONCIONIBVS INSIGNEM

ODE

Qualis fugaci rivulus impetu
Partas daturus divitias mari
  Procurrit ; aut qualis Favonî
    Praepetibus volat aura pennis ;
Festinat aevum sic breve ; funeris
Non parcit ulli dira necessitas ;
  Praegestit et cursu citato
    Spes hominum resecare longas.
Functus diurno munere Sol cadit :
Terris at umbras crastinus exiget :
  Post fata non lumen sereni
    Nos iterum aëris hauriemus.
Ergo quid auri, quod fugiet brevi,
Cures acervos condere? quid pares,
  Vesane, culti vasta campi
    Aequora, queis potietur haeres?

Sequi profanas mitte cupidines ;
Hinc atra nasci condidicit (reor),
  Quae saepe mordaci flagello
    Cura solet lacerare mentes :
Quicumque, falsa lusus imagine,
Foedo inquinavit (turpe!) animum nefas,
  Suspiret, aeternumque poenas
    Flagitii comites rependat.
At ille felix, qui nitet aurea
Virtute ; vano non trepidat metu,
  Non expavescit saevientes,
    In pelago ut scopulus, procellas ;
Delapsa coelo fulmina, sontibus
Timenda, ridet nil sibi conscius ;
  Illique continget beatas
    Morte obitâ properare sedes :
Quâ solis ardet perpetuum iubar ;
Quâ laeta mulcent aethera carmina, et
  Humana mens prorsus renidet,
    Deliciis saturata diis.
Haec ipse nuper te, Pater optime,
Vidi docentem, quum populi frequens
  Haereret arrectis corona
    Auribus, attonitoque vultu.

CRIMINVM DAMNA

ELEGIA

Qualis vere novo, laetae quo tempore frondes
  Arboribus redeunt, populus alba viret,
Ac nutrita vagi irrigua de fluminis unda
  Vivida procerum tollit in astra caput;
Quae tamen interdum penitis exesa medullis
  Sub viridi miseram cortice alit cariem;
Talis adest, qui iam virtute remotus ab omni
  Admissum quaerit condere mente nefas;
Is, licet externo praemonstret gaudia vultu,
  Curarum stimulis angitur adsidue;
Nec, quicumque ferens angustae incommoda vitae
  Cogitur extrema vivere tristitia,
Fortunae ludus, iacet infelicior illo:
  Nescit enim pacis munera flagitium:
Pax bona, civiles nimirum exosa tumultus,
  Agros et vitrei murmura fontis amat:

Pax hominum generi solamen dulce malorum
  Largitur, curas et iubet esse procul.
Si sapis, o moriture brevi, deterrima rerum,
  Crimina diffugias ; non secus ac avidum
Cervus per syluam, et spatiosa per aequora campi
  Antevolat rapidus corde micante lupum.

SVB EFFIGIE NAPOLEONIS

EPIGRAMMA

Vir sum Cyrnaeus; toto dominarier orbe
  Molitus; casu at spes cecidere gravi;
Namque, ubi captivum desertâ Helenae insula terrâ
  Detinuit, curis victus et irâ obii.
Quod non me sacro gessi Pastore minorem,
  Corruit imperium, servitiumque tuli.

IN FRONTE THEATRI EPHEBEI VICI IRIAE
CVI A NATIONE NOMEN EST

EPIGRAMMA

Hic simul et grata et luduntur idonea vitae;
  Siquis negligit haec, vitam agit ille miser.

DE LAVDIS QVAERENDAE RATIONIBVS

SERMO

Si quis mirifico laudum perculsus amore
Me fortasse roget, quae animo sententia surgat,
Edoceam, monstremque viam, quâ denique possit
Vertice conspicuo aethereum contingere Olympum,
Sic referam : cessare fuge, ac te dede labori.
Qui pergit momenta brevis consumere vitae
Desidia, veluti coeno lutulenta ruit sus,
Nequicquam speret mansurae praemia famae :
Immo etiam iaceat vivens incommoda saecli,
Morte obita condat cinerem nomenque sepulcrum.
Non te lucidulae gemmae, non usus et auri,
Non compti crines, falsi perituraque vultus
Forma brevi efficient clarum, nam pessima in illis
Invidia est, et onus non clarat dives asellum.
Probrum, non fluit e vitio intemerata nefando
Gloria : molitus patriae Catilina labores ;
Illius insectatur adhuc infamia nomen.
Una sed aeternum donat clarescere virtus :
Laude pudicitiae Lucretia nescia mortis

DELLE MANIERE ONDE SI ACQVISTA FAMA

SERMONE

Se alcuno acceso dal disio di laude
A me domanda quali estimo l'arti,
Ond'esso glorïoso il capo al cielo
A levar basti; la risposta è pronta;
Disdegna l'ozio, e il faticar sol ama.
Chïunque sperge nell'ignavia i brevi
Momenti della vita, a mò di ciacco
Che si voltola in brago, non aspetti
Premio d'eterna fama; ei vive, ingombro
Ai viventi molesto, e il nome e l'ossa
A lui nasconderà dentro l'avello.
Chè non lucide gemme, o forza d'auro,
Od azzimata chioma, o di fallace
Volto beltale peritura in breve
Ti compran fama, però che in lor puote
La tristissima invidia, e non dà pregio
La ricca soma all'asinel. Vergogna
Vien da nequizia ria, e non sincera
Gloria: già tempo Catilina a Roma
Apprestò danni, e lui persegue infamia.
Solo Virtù si veste eterna luce;
Ancor Lucrezia vive; ancor di Cato

Vivit ; spirat adhuc sententia dia Catonis.
Crede ; manu ingeniove bonus diceris in aevum.
Floruit hoc studio nimirum Graecia utroque :
Illic assuevit vivaci marmore poni
Iuppiter, et blando formosa beavit amore
Corda Venus, quo tempore Divos intulit aris
Phidia [1], quem ipsa artis docuit miracula Pallas :
Expressa est liquidis natura coloribus illic ;
Nam tua maturis variata tabella racemis,
Zeuxis, aves, et equus tibi pictus imagine, Apelles,
Lusit equum falsa, hinnitum qui sustulit ore.
Viribus ingenii decus immortale Pelasgi
Invenere sibi : Pelidem carmine Homerus
Divino cecinit, Thebanaque Musa peregit
Victori pugili monumentum firmius aere :
Iucundos potuit bene ludere Anacreon ignes,
Caeaque funereum depromere naenia luctum :
Hic primum tragico est innixa Camoena cothurno,
Et fata instituit regum miseranda referre :
Hic sollers vulgi res comica fingere mores
Exorta, et clare soccus decoravit Athenas.
Non alibi melius (fateor), quae nuntia veri,
Historia antiqui narravit temporis acta ;
Non alibi melius docuit praecepta agitandae
Vitae Socratica egregiis domus inclyta alumnis.
Ergo, ubi victrices orbi dare iura subacto
Optantes alas Aquilae explicuere Latinae
Graeca per arva, potens artes invidit Athenis
Roma triumphatis, et amicam pacis olivam
Armis antetulit, blandas fovitque Camoenas.
Regna cadunt ; Regnorum inscriptae facta supersunt
Chartae : dum superent igitur tua carmina, Horati,

Il senno parla. T' impromette fama
Industre mano, ovver d' ingegno acume;
Seguì Grecia quest' arti, e n' ebbe onore:
Piacque Giove Tonante in marmo sculto,
Venere bella immaginata in pietra
I petti umani confortò d' amore;
Mentre all' are imponeva i sacri Numi
Fidia, che apprese da Minerva l' arte.
Parve ritratta in liquidi colori
Natura, quando i grappoli dipinti
Per te, o Zeusi, agli augei fecero inganno;
Ed al dipinto tuo corsiero, Apelle,
Ingannato nitrì vivo corsiero.
Premio d' eterna fama ai Greci diede
Virtù d' ingegno: cantò l' ira Omero
D' Achille inesorabile: la Musa
Di Tebe al pugil vincitor compose
Durabil più che bronzo un monumento:
Anacreonte rallegrò con cetra
D' amor le mense, e quel da Cea le tombe:
Allor la Musa tragico coturno
Si cinse al piede, e miserandi casi
De' grandi spôse: allor la Comedia
Coll' umil socco, ond' è famosa Atene,
Del volgo intese ad ammendar la vita.
Ove la Storia, che a sè merto acquista
Dal verace sermon, di prische genti
Meglio narrò le memorande imprese?
Ove meglio di vita i modi onesti
Fur palesi, e fiorì d' egregi alunni
Meglio la Filosofica famiglia?
Poichè bramose l' Aquile latine
Dar leggi al mondo dispiegaro i vanni
Pei Greci campi, la possente Roma
Alla soggetta Atene invidiò l' arti,
E il verde ulivo della pace amico,
E l' auree Muse pose innanzi all' armi.
Muojono i Regni: nelle dotte carte
Vivon le gesta; per te, o Flacco, vive

Augustus vivet : pietate insignis et armis
Aeneas, donec resonet tuba dia Maronis.
Quare perpetuum cordi est cui nomen apisci,
Vel frontem attollis generoso a sanguine cretus,
Sive humili patre serpis humi, volitabis ad astra,
Dum sophiam adsidue, aut dulces sectere Camoenas,
Vel placeat scalpro, liquidisve coloribus uti,
Caetera mitte, age, quae ventura irrideat aetas.

---

1 - Non dnbitavi scribere *Phidia pro Phidias*, quod Quintiliauns Lib. I. Cap. 4. docet Latinos non esse insolitos, ut masculina Graeca nomina, quae in *as* exennt per *a* efferant ; atque ait idcirco apud Caelinm legi *Pelia Cincinnatus*, et apud Horatium *obeundus Marsya*.

Augusto; il pio vivrà figliuol d'Anchise,
Finchè rimbombi di Maron la tuba.
Or tu che brami di perenne laude
Fregiar la tua memoria, o sei rampollo
Di magnanima pianta, o d'umil ceppo,
Farai pieno il desir, se di Sofìa
Alle dottrine, o delle Muse ai doni
L'alma edùchi, o scolpir marmi t'aggrada
O tele colorar, ma in non cal tieni
Quel che in non cal terran l'età future.

VIRTVTE OPVS ESSE AD NVPTIAS

SERMO

Qui virtutis egens male pravum miscet honesto,
Perpetuo abstineat concordis foedere vitae;
Quandoquidem indulgere pio non aptus amori
Connubio properat saevos pro pace labores,
Nescius et teneram patriae bene crescere in usum
Progeniem dictis fallacibus addocet atque
Saepius exemplo fatuam consumere vitam.
Si piger ac rudis agrorum proscindat aratro
Tellurem, et spissa minuat propagine vites,
Credin opus fervere diu, vel falce putatam
Arborem inexperta decorari mitibus uvis?
Mens animi studiis non informata severis
Plurima sectatur falso, moeretque secutam.
Est qui dilectae correptus imagine formae
Se laetum exclamat, pulcram quod coniugem adeptus:
Demens! nescit enim decus et solatia amantum
Quam cito purpureos rosa vivida ponit honores;
Quam cito protrusum rapido ver labitur aestu:
Alter avaritia captus, patrioque beatus

ESSERE RICHIESTA VIRTV' A STATO MARITALE

SERMONE

Quei che non sa virtute, e mal discerne
Nequizia ed onestà, di giogal vita
Non fermi patto, od avverrà che schivo
D'amor in nuzïal vincolo trovi
Anzichè pace tormentosi affanni;
E di allevare i pargoletti figli
Non si curando della patria all'uopo
Insegnerà con detti, e con esempio
Come si spendon vaneggiando i giorni.
Se pigro ed imperito agricoltore
Rompe le zolle coll'aratro, e scema
Della vite il soperchio, estimi forse
Che l'opra a ben riesca, o che s'adorni
Di bei maturi grappoli la vite?
Non francheggiato di severi affetti
Corre l'uomo al mal far che poi l'attrista.
Questi invaghito di gentil sembiante
Lieto si tien, che inanellò leggiadra
Fanciulla disposando; ahi folle ignora,
Come in brev'ora perde le sue spoglie
La rosa onore degli amanti e brama;
E come si dilegua Primavera:

Non satis argento magna cum dote puellam
Quaerit; at insanae fastum saturare coactus
Uxoris tumidum, paullatim e divite pauper
Fit; tandem digito monstratur fabula vulgi;
Hic stultus, caeco penitusque agitatus amore
Denique iucundi sectatur castra Hymenaei,
Si relevet curas; at, quum satiata libido est,
Pertaesum subito thalami taedaeque iugalis:
Quem tenet ambitio, caris haeredibus ardet
Priscum solari genus, at si decipitur spe,
Connubio, infelix! frustra maledicit inani.
Praeterea similem pravo consurgere patri
Progeniem videas, procul et virtute remotam;
Non secus e fonte haud nitidis deducitur undis
Rivus turbidulo; nec mala valentia ferre
Degeneres possunt maturo tempore rami.
Tu vacuus, nimium Bacchi Venerisque benignus,
Qui sobolem horteris praeclaram degere vitam?
Tu rerum impatiens malesanae obnoxius irae,
Quid speres caram recte mansuescere prolem?
Ergo domus, Patriaeque bono malo consulit, almae
Qui virtutis egens genitoris nomine gaudet.

Quei d'avarizia vil mancipio, e pago
Non abbastanza del paterno censo
Riccodotata una donzella trova;
Ma secondando al vanitoso fasto
Della consorte a povertà diviene,
E al fin favola al volgo a dito è mostro:
Altri compreso d'amoroso foco
Segue l'insegne d'Imeneo le cure
Ad alleviar; ma se la voglia adempie,
Volge in fastidio il talamo e le tede:
Altri d'ambizïon tumido il petto
Desia d'eredi consolar la casa,
Ma se la speme gli fallisce, invano
Misero impreca alle infeconde nozze.
E sorgere simile al reo parente
Vedrai la prole, ed a virtù ribelle;
A questa imago da torbida fonte
Torbido ruscelletto si deriva;
E in lor stagione i tralignati rami
Le poma non maturano. Ozïoso,
E di Venere, e Bacco amico troppo,
Come addestrare ad onorate imprese
I figlioletti? insofferente, iroso,
Come allenirli? mal dunque provvede
Alla casa, e al natio loco chïunque
Cerca senza virtù titol di padre.

IN SVVM DIEM NATALEM

V. ID. OCTOB. MDCCCXLV.

EPIGRAMMA

Bis duo lustra meus claudit natalis et annos
Septem ; iam retro blanda iuventa fugit.
Post hiemem rursus gratâ vice ridet Aprilis ;
Labitur at velox non reditura dies.

CARMINA LAVDATIVA

AD PIVM IX.

PONT. MAXIMVM RENVNCIATVM

ELEGIA

Non semper tacito latet aurea pectore Virtus,
  Et longe semota enitet a populo ;
Ut viola, irriguo furtim quae nascitur horto,
  Occultat viridi cespite suave decus :
Verum eadem interdum sancto pulcherrima vultu
  Late conspicuum tollit ad astra caput,
Unde, novus veluti Sol clara luce renidens,
  Cernitur attonitis undique luminibus ;
Quae si praeterea doctâ satis aucta Minervâ
  Se bene Socraticis condecoret studiis,
Tunc et donatur plausu, et donatur honore
  Aeternis digno iam prope Coelicolis :
Hac tibi magnanimâ, Pater Optime, contigit arte
  Nobile perpetuae currere laudis iter ;
Hac arte innixus Superum modo carpis honorem,
  Et canit in terris te mea Musa Deum ;

Quippe Dei solio Diâ vice fungeris alto,
  Divino populos et regis imperio;
Quippe tibi Coeli concessa Erebique potestas,
  — Ut nutu pateant utraque Regna tuo: —
Tu Rex; tu sacrum Oraclum; tibi credita Petri
  Secura in medio nat ratis Oceano.
Sed vero in primis Pastoris nomine laetus
  Fortunatum agis in pabula dia gregem;
Tum Vaticano de vertice brachia tendens,
  Quâ fervent ignes, quâque riget glacies,
A pecore errantes spatio per devia longo
  Agnos desertam pellis adire domum.
O mihi si liceat tantas aequare canendo
  Laudes, ac humili carmine sollicitâ
Mole laborantem rerum te posse morari,
  Quin pigeat nostrae, Magne Pater, citharae!
Tunc magis humanâ me conditione beatum,
  Atque aliquid versus tunc rear esse meos.
Sed meminisse iuvat, quo me sermone benigno es
  Musarum hortatus pergere castra sequi,
Moenia cum nuper Syllae iucunda, diebus
  Sacris Patronae Virginis, incolui;
Moenia, solerti quae tunc tibi tradita curae
  Aetas nulla tuo deleat ex animo;
Non aliter caros solamen amabile gnatos
  Corde fovens memori cogitat adsidue,
Quem via longa diu, vel munus forsitan acris
  Militiae dulci distinet a patria.
Quare nunc facili, quaeso, me respice vultu,
  Parvaque devoti munera vatis habe,
Et bonus o nostram rursum exhortare Camoenam,
  Ne sane inceptum languida mittat opus.

Hoc face : tempus erit, quum scilicet, aureus Urbem
  Aeternam Tibris quà secat, ipse ferar,
Teque adeam, supplexque tuis figam oscula plantis,
  Persoluam grates et tibi : deinde redux
Affirmem vidisse, Deo qui proximus ipsi
  Spondet sub regno saecula laeta suo :
Hoc duce nimirum intactos, coelestia dona,
  Invisat populos aurea Relligio ;
Hoc duce per miseras impune licentia terras
  Bacchata ediscat frena inimica pati ;
Semper poena comes diram premat aspera culpam,
  Et sua Virtuti praemia sint meritae ;
Ingenui redeant mores, rectique amor, et pax
  Haereat amplexu candida iustitiae.
Vos, agite, o properate, precor felicia saecla ;
  Tunc liceat vitam degere Coelicolûm.

AD PIVM IX. PONT. MAX. '

CARMEN

Cum subito volitans circum vaga fama per Orbem
Attonitas laetis hilaravit vocibus aures,
Te magno triplicis, Pater Optime, honore tiarae
Insignem Petri cymbae subiisse magistrum,
Primus ego ante alios, quod pectore verba fovebam
Ante audita mihi, carum testantia amorem,
Te volui nostrae foetu donare Camoenae,
Atque ita laetantes animi depromere sensus.
Tunc placido tenues vidisti lumine versus;
Tunc humilem pulcrâ sane tua laude poetam
Dignata est gratum et memorabile epistola munus,
Quae me, non secus ac radiis cum firmat Apollo
Languidulum florem, ac reficit iam paene iacentem,
Admonuit validis nimirum hortatibus, acer
Ut pergam Aonii superare cacumina Pindi;
Quare, sollemnes tibi dum instaurantur honores,

Iamque frequens ultro doctâ bibit aure corona
Carmina, quae resono certatim fundimus ore,
Discupiens equidem meritas persolvere grates,
Si licet, ac aliquod tantae decus addere famae,
Non possum reticere, omni ut virtute renidens
Fulges, convexo velut aurea sidera coelo;
Arbiter ut Mundi, divini Pastor ovilis
Sollicito vigilas animo noctesque diesque,
Utque tuo properas populo nova iura, Soloni
Adsimilis, meditans optatae munera pacis,
Quae, redimita caput viridantis termite olivae,
Ocius o nostros invisat candida fines;
Ergo, Magne Pater, salve decus Urbis et Orbis;
Vos salvete, Pii felicia saecula Noni.

---

1 - Carmen editum in libello — Adunanza di Faentini a celebrare nel Pubblico Palazzo il dì 20 Giugno 1847 l' Anniversario della Coronazione di Nostro Signore PIO PAPA IX. — Faenza dalla Tipografia di Pietro Conti.

AD IOANNEM BENEDICTVM FOLICALDIVM

PONT. ECCLESIAE FAVENT.

CARMEN

Dum trepidus, variae perculsus turbine sortis,
Quà sedet insigni dilecta Faventia cultu,
Pastor, divinum meditatus linquere ovile,
Festinaret iter venerandae ad moenia Romae,
(Scilicet ut, magna commissi a mole negoti
Longius, optatae poteretur munere pacis)
E Vaticani sacrato vertice murmur
Illius attonitas subito devenit ad aures :
O Pater, electi custos gregis optime, virtus
Cui peporit tantos, clarum decus, inclyta honores,
Ecquid agis rerum? dubia formidine mentem
Exue ; macte animo : pecoris miserere, magister ;
Fac tibi stet cordi coeptum durare laborem ;
Ducere fac properes ad pabula dia capellas.
His dictis imo commotus pectore, agendis
Posthabuit rebus iucundae munera pacis.

Tunc, Patre servato, concordi foedere cives,
Qualis nauta maris quum iam cecidere procellae,
Instituere diem solvenda in vota: refulsit
Pulcrior, ac laetis respondit plausibus aether.

IOSEPHO ZACCHIAE

PRAEFECTO VRBIS

INTER PATRES CARDINALES ADLECTO

ELEGIA

Dum te purpurei, Pater optime, Roma galeri
  Munere sacratis patribus adnumerat,
Sollemnesque parans tibi late indicere honores
  Non quaerit fastus amplius illa suos,
Cum Iovis aeternam conscendere Caesar in arcem
  Visus, et evincti brachia capta duces;
Eccur dilectas iubeam cessare Camoenas,
  Ne tangant resonae pectine fila lyrae?
Eccur non festo modulabor carmina cantu,
  Gaudia nec laeti pectoris evoluam?
Qualis inexpertus medium progressus in aequor
  Tentat ad ignotas navita adire plagas,
Quae fugere ex oculis, ut somnia vana, videntur
  Frustratae illius vota mage atque mage;
Talis difficili non sat bonus arte Catulli
  Accingar laudes ipse referre tuas,

Quas fertur tranans pernicibus aera pennis
  Ad semota procul fama tulisse loca;
Quandoquidem faciles edocta Lutetia mores,
  Quae miti Gallos temperat imperio,
Sustulit aetherii te clarum ad sidera coeli,
  Ornavitque tuo nomine ephemeridas.
Nam quid ego et memorem benefacta, tuaeque labores
  Vitae? quam humano profueris generi?
Testis adest Frusino, cives cum turba latronum
  Bacchans vicinas impia per siluas
Terruit, innocuoque manus infecta cruore
  Complevit raptis abdita lustra opibus,
Quae simul ac contra te vidit in arma ruentem,
  Ancipiti perhibent obticuisse metu,
Et propere in solas trepidam fugisse cavernas,
  Cornuaque assuetum oblita ciere sonum:
Tunc, duce te, miseris iterum pax fulsit in oris,
  Desuetosque diu rettulit alma pedes;
Sic, ubi turbato nigrescunt nubila coelo,
  Iratoque tonant fulmina missa Iove,
Sol redit, exoritur si lucidi amica sereni,
  Quae nigro tenebras exigat aura polo.
Dic, age, Roma, virum gremio tibi namque fovere
  Contigit, et sacris addere iudicibus,
Quos propter, fateor, doctas imitaris Athenas,
  Et reficis regni saecula Cecropii,
Dic, age, ut in viduo mulier deserta cubili,
  Scilicet a cupido nescia vulturio
Comparis extincti modicum defendere censum,
  Absumat gnatos ne macilenta fames,
Auxilium implorans, facili ceu numine, ab illo
  In risum potuit vertere tristitiam.

Sed quo te, nostri rarissima gloria saecli,
  Concelebrem digno carmine, magne Pater?
Quippe tibi aeternae decorato fascibus urbis
  Obtigit expertâ ducere frena manu,
Hic ubi, praecipuo auctus Cincinnatus honore
  Rebus in afflictis consuluit patriae;
Hic ubi Romanis prope iam nutante columnâ
  Egregiam valuit ferre Camillus opem.
Fortunate Parens, insignibus utere fatis,
  Quae merito virtus iam tibi deproperat:
Exaudi, ut laetis resonant applausibus aurae,
  Felsineum Sinnus [1] quâ rigat Oppidulum,
Oppidulum, tibi quod, veluti tua patria tellus,
  Saepe olim gratum praebuit hospitium:
Quare, dum ad magnos attolleris, inclyte, honores,
  Hoc tamen Oppidulum te meminisse decet;
Sic prope cum Superum vitâ poteretur Ulysses,
  Nempe dies tecum, filia solis, agens,
Nunquam Ithacae oblitus iucundae dicitur orae,
  Arsisse at patrii semper amore soli.

---

1 - Sinnus - Senio fiume di Castel Bolognese.

ALOISIO RICCIO NVRSINO

EPISCOPO SIGNINOR. RENVNCIATO

ELEGIA

Dulcia dum citharae percurro pectine fila,
  Et resono laetis aera carminibus,
Vos agite, o cives, supero persolvite Regi
  Grates, certatim et mascula thura date;
Tum graviter resonum praeclarae opus artis, amicum
  Templis, o facili, quaeso, ferite manu,
Artis opus, quod, vobis ante, ut fama, repertum,
  Alma sibi haud renuit sumere Relligio,
Plaudite; quandoquidem virtute, atque ore diserto
  Insignis, placido et lumine Pastor adest,
Quem Pius, attoniti decus et miracula mundi,
  Optavit caro praesidium pecori,
Forte memor, Syllanâ illum quod in urbe [1] docentem
  Viderat eximie oracla verenda Dei,
Tempore quo, choreis actis ludisque, iubentur
  Christicolae sanctos vivere rite dies.

Sed, veluti mater dilecti sedula gnati,
  Sic dolet illius patria dissidium;
Dissidium infandum! nam quot tulit ille labores
  Pro patria, quantis iuvit eam officiis!
Vel sermone animos valido ad meliora vocaret,
  Detestans culpae plurima damna malae;
Vel, duce se, caros virtutem discere ephebos,
  Et sophiam in sacro cerneret hospitio:
Non aliter cultor videt agri crescere vites
  Delicias, studio quas alit adsiduo.
Verum, etsi deserta operoso moeret alumno,
  Olli gratatur nunc tamen illa recens
Munus, quo late virtutum lumina pandens
  Lucebit, puro ut sidera fulva polo,
Iustitiaeque fovens, iucundae et munera pacis,
  Spes erit, atque novae dulce decus patriae.
Iure igitur tanto iam nunc Pastore superbi,
  Dilecta o magno terra beata Pio;
Namque, animo totum vasto dum cogitat orbem,
  Tam bene sollicitae consulit ille tibi;
Non secus illustrat te lumine, maxima Roma,
  Sol claro, et vicos flammeus idem humiles.

---

1 - Urbs Syllana - Imola.

AD PIVM IX. PONT. MAX.

REDVCEM IN VRBEM
PERAGRATIS DITIONIS SVAE PROVINCIIS

ELEGIA

O Elegi, moestum iam, quaeso, expromite carmen,
Et versam in lacrymas dicite laetitiam;
Quandoquidem omnis honos atque omnia gaudia nobis
Tam cari Patris dissidio pereunt,
Qui modo gaudebat versari, ac longius esse
Nobiscum, memini, verba et amica loqui;
Cum nuper facilis nostras invisere sedes
Dignatus, turbam nosque beare suam:
Non aliter colles illustrat et aequora campi
Sol Orbem exhilarans suppositum radiis.
Oscula tunc quoties ferventia, numen adorans,
O Pie Magne, tuis ipse dedi pedibus!

O quoties et sum ipse meum tibi fassus amorem,
Et Dia Incensum Relligione animum!
Testis adest Sapis, [1] varios quà plurima foetus
Descripta ingenii, mirum opus artis, adhuc
Asservat membrana aevi monumenta vetusti,
Et decorat geminis moenia clara Piis;
Hic mihi namque tuo sane gaudere benigno
Aspectu, atque frui contigit alloquio.
Testis adest Anemo [2], pulcram qui perluit urbem,
Fataque turriti pontis amara gemit:
Hic dum plaudebant, facto velut agmine, cives,
Atque fatebantur dedita corda tibi,
Aurea praeclari, tua dona, insignia honoris
Pendula de collo fulgere visa meo.
Deinde tibi occurri, populoque immistus ovanti
Plausi, Felsineum quà iacet oppidulum:
Meque urbs detinuit gremio Syllana beato,
Praesenti arridens cum tibi dixit io.
Tum quà se tollunt Michaelis ad aethera rura, [3]
Naturae atque artis candida rura decus,
Felsina [4] prostratum nemoroso in vertice vidit
Me vicina tuos non semél ante pedes;
Nam veneror Te; sive Pater Princepsque vocari
Exoptas; plenus flamine sive Dei
E Vaticano Intemeratam ab Origine dicis,
Quae sola humani est spes amor et generis.
At nunc, vae nobis! decedens haec loca luce
Destituis, nos et linquimur in tenebris.
Iam tua Te rursum nobis heu! maxima Roma
Invidet, optatum gestit et ob reditum,
Quae frustra veterem iactaret Te sine fastum,
Forsitan et sine Te nomen inane foret;

Te propter sed enim decori decus addit, ut auro
Gemma nitens, nulli non celebranda diu,
Dum flavum ad Tiberim Divini Pastor ovilis
Fortunatum agat in pabula laeta gregem.

Faventiae idibus Septembris An. MDCCCLVII.

---

1 - Sapis - Savio fiume di Cesena.
2 - Anemo - Lamone fiume di Faenza.
3 - Rura Michaelis - S. Michele in Bosco.
4 - Felsina - Bologna.

AD MAXIMVM

FOLLE LVSOREM

EPIGRAMMA

Si tibi vita foret qua tempestate ferebat
Aeternum victor nomen Olympiacus;
Dum iacis hinc follem, et dum reiicis inde repulsum,
Reiicis evincta palma iterum atque iterum,
Te quoque Dircaeus cantaret, Maxime, Cycnus,
Poneret et Pario marmore Praxiteles.

ANTONIO TAMBVRINIO EQVITI

CANTORI SVI TEMPORIS PRIMO

EPIGRAMMA

Si nunc in cantu illa esset, qua claruit olim
Virtute Amphion, Calliopesque genus,
Dum canis, Antoni, velut olim saxa coirent,
Rumperet et Stygius ferrea iura Deus.

IOSEPHO GIOVANARDIO
BONONIENSI

QVVM GEOMETRIAE ET MATHESEOS LAVREA DONARETVR

EPIGRAMMA

Et lauro doctam frontem praecingit Ioseph,
Praemia et haec virtus, haec habet et sophia.
Felsina, nunc gaude, nunc et gaudete parentes;
Nam bene vos gnato, tu bene cive nites.

DE LAVDIBVS VINCENTII FORLANII

EPIGRAMMA

Non tibi difficile est latios componere versus,
Non lingua ex alia vertere et in latiam;
Sed, dum componis, Forlani, pulcher ab omni
Parte es; dum vertis, non tua fers vitia.

STEPHANO ROSSIO

ANTIST. DOMVS PONTIF.

Dedicatio primae Editionis

Haec donata tibi mea munus carmina ineptum
Dum parvo prodire sinis collecta libello,
Rossi, naturae praebes exempla benignae,
Quae, fastum indignata, animos sibi nectere amore
Assolet, et magnam virtutibus addere laudem;
Quapropter gratus sincero pectore vates
Te colit, atque tibi felicia cuncta precatur.

DIDACO VITRIOLIO EQVITI

Dedicatio alterius Editionis

Quae mea praesenti simul edo carmina libro,
  Emendata magis rursus et aucta magis
Cui dono? claro tibi, Didace, ut ipse favorem
  Addas, ac nitidum quo docore illa carent:
Tu donum ne sperne meum; hoc facias, tibi grates
  Innumeras habeam semper et ex animo.

GEORGIO ANTONIO MORINIO

IN CARMINIS DEDICATIONE

HENDECASYLLABON

Morini, pater elegantiarum,
Ut Bacchi e lacubus, rudique nexu
Manipli timidus puer colonus
Protrusus rabidi Gradivi in arma
Horrescit litui tubaeque murmur;
Sic, hos versiculos tibi dicando,
Sensi cor trepido metu micare:
Tu solare meum, precor, timorem,
Acceptumque simul, simulque gratum
Hoc habe tibi qualecumque carmen.

CARMINA FVNEBRIA

IN FUNERE

GEORGII ANT. MORINII

RHETORIS PRAESTANTISSIMI

ELEGIA

Vos ad vestra, Elegì, compello carmina, quando
  Adsiduo multis conficior lacrimis;
Et iuvat afflicto depromere corde querelas,
  Dum referam, humano quam invida mors generi;
Quae, si forte aliquem ingenio et virtute nitentem
  Aspexit, cupidas iniicit atra manus;
Nam modo te nostrae decus et solatia terrae,
  Quà per plana Anemo porrigitur spatia,
Morini, ante diem rapuit; per devia qualis
  Corpore praestantem, delicium pecoris,
Impastus furatur ovem lupus. O male factum!
  O subito nobis quot periere bona!
Disperiit longo doctrina parata labore,
  Unde adoras toti commodus Aemiliae;
Quippe Italae iuvenes utriusque docere tot annos
  Linguae sermonem, ac munera Pieridum

Callebas ; ne sane aveant cessantibus aequi
  Ditibus in turpi vivere desidiâ ;
Sed magis ingenii per vires quaerere famam,
  Quae nitet, ac pennâ praepete spernit humum.
Te duce, quot lauro sunt ausi cingere frontem?
  Te duce, ut Ausoniam clarat adhuc Latium?
Quod conata diu malesana evertere turba est,
  Si queat e nostris pellere litterulis ;
Nequidquam conata : animos, te vindice, nostros
  Hactenus oblectant carmina Virgilii ;
Hactenus auditur divino Tullius ore
  Ut lubet edoctus corda movere hominum.
Ac, veluti pictos, horti studiosus amoeni,
  Flores, naturae munera, cultor alit,
Ne sane rapido metuant arescere ab aestu,
  Aut saeva exusti ne iaceant glacie ;
Sic tibi cura fuit penitis adamare medullis,
  Et bene virtutes ingenuas colere.
Cui Pudor, in miseros animusque paternus egenos,
  Cui melius recti pectore inhaesit Amor?
Quod magis egregium, Christi firmata cruore,
  Praesidium invenit candida Relligio ;
Dogmata sive opus indocto reserare popello,
  Fungi divinis vel foret officiis?
Omnia quae subito mors, detestabile nomen,
  Abstulit. Eheu quot flebilis interiit!
Flebilis ille mihi, quicum persaepe solebat
  Versari gratâ iunctus amicitiâ ;
Quicum, equidem memini, quâ Etruria tota patescit,
  Carpere iucundae gaudia multa viae.
Haec fuerunt olim : tanto desertus amico
  Nunc ego sollicito pectore discrucior.

Te gemit adsiduo deperdita patria luctu,
  Morini, et queritur fata inimica bonis.
Heu! cadis, ut perculsa animosi flamine venti
  Interdum pomis arbor onusta cadit.
Quare age tu felix, operosae ad praemia vitae
  Iam propera; nimium terra habitata tibi est;
Quare age tu felix, coelestia limina inire
  Iam propera, et magnis te insere coelicolis.

SVB EFFIGIE

IOSEPHI ZAMAE MELLINII

SAC. BONONIENSIS

IN ROSSIORVM VILLVLA
PROPE SINNVM FLVMEN

EPIGRAMMA

Hic Mellinius hospes erat, quo Felsina alumno
  Gavisa est, nutrix artium et ingenii,
Ducebat Rioli latices hic ille salubres,
  Arida dum torret Syrius arva canis;
Ast coecum haud latices valuere extinguere morbum;
  Mox etenim patriae redditus occubuit.
Ille decem cunctis acceptus lustra peregit,
  Et virtute simul floruit et sophia.

IN OBITV

ALOISII CESINII [1]

SODALIS BARNABITIS

ELEGIA

Qui me principio desertum utroque parente,
  Tum cum verba tener discere quid valeant
Paulatim adsuevi, et falso dignoscere verum,
  Et colere, a quo sunt omnia facta Deo,
Sedibus excepsti, veluti gnatum pater, almis,
  Felsina quâ pueros de meliore nota
Educat, et simul ingenuas informat ad artes,
  Usque memor laudis Felsina docta suae;
Quâque ego bis quatuor, duce te, feliciter annos
  Exegi, quum me diligeres proprie,
Ac bene curares; pictos ceu sedulus horti
  Adsiduo flores cultor alit studio;
Qui me postilla complexus semper amore es;
  Nam per Felsineas me tibi saepe vias
Optasti comitem; invitat dum solvere curis
  Paulum sol fessos, curru abeunte, animos;

Insuper et, multam misisti saepe salutem,
  Quum tardum procul a me traheres senium:
Heu te, Cesini, te nunc queror, optime, ademptum,
  Atque meis nunquam pono modum lacrimis:
Quandoquidem tua mors tanto mihi, crede, dolori est,
  Ut iam nil lacrymis tristibus anteferam.
Quare non blanda me nunc dulcedine tangit,
  Ut solita est, tua, mellite Catulle, lyra;
Non tuba Virgilii iam personat amplius aures
  Dia meas, et me surripit illa mihi:
Quin, quod erat gratum ac laetabile, nunc prope amarum
  Sentio, et in coecis nunc iaceo tenebris.
Hoc unum sed enim solatur multa dolorem,
  Quod coelo potior te modo vita beat;
Hic ubi virtuti sua praemia donat habere,
  Cernitur et claro lumine Coelipotens;
Hic ubi perpetuo rident late omnia vere,
  Perpetui fulgent hic sine nocte dies:
Haec loca non habitat fletus, non tristis amaror,
  Sed iocus et cantus faustaque laetitia.
Hic etiam gaudes manifesta in luce videre,
  Quae Regina domus dicitur aetheriae,
Quae, tuus in terris amor, et spes una, decusque,
  Difficile ad coelum iam tibi stravit iter,
Cui me olim totum admonuisti dedero, et illam
  Semper dilectae matris habere loco.
Felices monitus! equidem quos praebeo carae,
  Parvula subcrescit quae mihi progenies.
Felices monitus! quos cum soquor, ut bene tutus
  Vivo! mihi a quanto est salva rates pelago!
Interea dum sorte tua, pater optime, laetor,
  Moereo, te extincto, moereo et ipse mihi;

Auferet has tantum lacrymas mors ; tunc ego tecum
O utinam superis coetibus adnumerer.

---

1 - Aloisius Cesinius Sod. Barnabites natus in Agro Camerte vixit a. LXXVII. m. III. d. XXIV. decessit Septempedae XIV. Kal. Aprilis An. MDCCCLX.

AD

ANTONIVM BERTOLONIVM

EQVITEM BENEFICIARIVM
ORDINIS CIVILIS SABAVDICI

VIRVM UBIQVE GENTIVM CLARISSIMVM

IN OBITV LAVRENTII COSTAE

ELEGIA

Ne pete, quaeso, elegos, doctissime Bertoloni,
  A me plorantes, sed mage iam lacrymas,
Et solum lacrymas; dum tanti afflictus amici
  Immaturum equidem conqueror interitum:
Nam mihi difficile in saevo reperire dolore est,
  Flectere et ad certos tristia verba modos.
Verum, quod petis, ut Musarum munere tecum
  Contribuam propriam cordis amaritiem,
Ecce ego sollicito depromens pectore curas
  Circum implebo sonis aera flebilibus,
Atque tuas referam laudes et praemia laudum,
  Costa, heu! quem nobis invida mors rapuit.
Costa, decus ligurum et pulcherrima gloria vatum:
  Quippe, opus Etruscis sive foret numeris
Ludere seu Latiis, potior te nullus Etruscis,
  Nullus te potior luderet aut Latiis;

Nullus te potior, dum carpis verbere linguae
  Mores ac saecli pessima facta tui,
Auli nimirum satiras imitatus amaras,
  E vitio cives si removere queas;
Qualis in aerio praerupti vertice montis,
  Aut alti ad ripas fluminis acer eques
Spumantem conatur equum compescere freno,
  Demens abruptum ne ruat in barathrum;
Nullus; longinquos Itali dum sumis Ulyssi
  Per terras cursus dicere perque mare,
Ut procul ignoti reseravit limina mundi,
  Repperit ut gentes ex aliis alias,
Quas fatue pecudum viventes instar inepto
  Ludebat ritu vana superstitio;
Verum, non notis ut primum ille appulit oris
  Securus, pulsa est vana superstitio;
Non aliter pulsae ventorum flamine nubes
  Vanescunt, aut nox sole oriente fugit:
Tunc ibi dia leves coepit se pandere ad auras
  Crux, ibi tunc fulsit candida Relligio;
Tunc ibi Columbo populi plausere merenti,
  Magnum clamantes atque salutiferum.
Sed tibi quos porro, *si qua fata aspera rumpas*,
  Costa, daret cantus aurea Calliope,
Dum properas totum describere carmine mundum,
  Quid terras ornet quid mare quidque polum?
Certe illis, credo, rerum natura stuperet
  Non prius auditis versibus attonita.
Ast illis heu! mors tunc versibus obstitit, eheu!
  Tam carum nobis mors caput eripuit,
Quam propter Costam nunquam aspiciemus ademptum,
  Heu! quantum nobis attulit illa malum!

Quare nunc lacrymas exstincto fundere amico
  Nos decet, ac frontem sollicitam gerere;
Aut etiam miseros, doctissime Bertoloni,
  Tristia morte sua carmina concinere;
Sic etenim illius tollemus nomen ad astra,
  Perspicuum magis ut fulgeat atque magis.

Faventiae pridie nonas Februarii An. MDCCCLXII.

IN MORTEM

ANTONII BRIGNOLE SALE

MARCHIONIS

VIRI PRAESTANTISSIMI

ELEGIA

Qui ligurum decus, et patriae sincerus amator
  Iura est tutatus, quod potuit, patria;
Qui terrarum orbis longinquas nomen in oras
  Egregium carae protulit Italiae,
Et pius insanae plebi dissedit, honores
  Et studuit summo reddere Pontifici,
Virtutes coluitque omnes, et iam prope maior
  Invidia terris fulsit, ut astra polo,
Et bonus ingenio sophiae digressus in hortos
  Condidit haud raro scripta linenda cedro;
Quem toties nostrae delectavere Camoenae:
  Dum solor vitae taedia carminibus,
Occidit ille, suae defunctus tempore lucis,
  Occidit heu multis flebilis atque mihi!
Quandoquidem dulci sibi me devinxit amore,
  Non semel et gratum misit epistolium,

Quo me hortaretur sectari pergere doctas
  Pieridas potius, delicias hominum,
Quam stultum velle immergi civilibus undis,
  Et pro secura quaerere pace odia,
Dilecta dominos pro libertate superbos,
  Pro risu lacrymas, quidquid et est miserum.
Felices monitus! quos dum sequor, ut bene tutus
  Vivo! ut non ullo crimine mens trepidat!
Sed nunc sollicitus te moereo, Brignole, ademptum,
  Exigo et afflicto gaudia cuncta animo;
Nunc me flere iuvat, iuvat et, venerande, tuarum
  Laudum aliquid moestis posse referre modis;
Ut primus paucorum, consiliante senatu,
  Si pia vota vetent, atque habitante suo
Sacratas viduent sedes, tu pectore forti es
  Conatus durum avertere consilium,
Frustra; namque tuas suffragia plurima voces
  Vicerunt, vetita, heu! vota fuere pia,
Et sacrae sedes viduatae habitante fuerunt;
  Tunc vanae lacrymae, et murmur inane preces;
Utque, velut repetit fidissima litora nauta,
  Per medium saevit cum atra procella mare,
Optasti privata recedere in otia prudens,
  Ne faceres, renuat quod tua mens animi,
Quod tua Relligio, quae annos monet esse fugaces,
  Atque malos poenam morte obita premere,
Quae, dia sobole intemeratae Virginis orta,
  Est potis ad coelum sternere sola viam;
Nunc ubi tu, nostri rarissima gloria saecli,
  Adscriptus sanctis Coelicolum ordinibus,
Divino adspectu frueris semperque frueris,
  Atque ita virtutum praemia fers merita;

Praemia nec tantum haec ; maneat sed fama perennis
Illa tua humanis inclyta in Historiis.

Faventiae Prid. Kal. Dec. An. MDCCCLXIII.

IN MORTEM

ANTONII GESSII COMITIS

EPIGRAMMA

Dum tibi iucundae defuncto tempore vitae,
  Gessi, mors cupidas iniicit atra manus;
Heu! subito passim concordes flemus amici,
  Atque obitu canimus carmina moesta tuo;
Ut, si, quae peperit iam plurima gaudia nobis,
  Te cadit exstincto dulcis amicitia,
Versibus et nostris magis ac magis inclyta vivat,
  Illi et honos, et sit laus sua perpetuo.

CARMINA AD AMICOS

AD

ANGELVM AEGIDIVM

EPISTOLA

Aegidi, iuvenum clarum decus, inclyta Roma
Quos gremio fovet, ac pulcras simul edocet artes,
(Sive tuos agat in campos, Tritonia Virgo;
Sive tuas, Helicon, invitet ducere lymphas)
Iam, precor, exaudi, si nil te forte moratur,
Quae vacuo dictat facilis mihi carmina Musa.
Dum parat occiduas, defunctus rite diurno
Munere, Sol vasti se condere in aequoris undas,
Aemiliae pulcra solus digressus ab urbe,
Qua felix Anemo planos perlabitur agros,
Deferor interdum semotos quaerere calles;
Et curarum expers, placidi studiosus et oti
Gaudeo cessantem huc illuc convertere mentem.
Ergo saepe tuos videor mihi, Tibri, vagari
Per colles, mirorque aurum te volvere in amnem;
Saepe Urbem stupeo, qualem vidisse recordor

Iam quinque ante annos, quum prima efferveret aestas.
Protinus ecce oblata mihi se tollit ad auras
Fabrica, posteritas vovit quam grata Magistro,
Qui primum pecudes Divini pavit ovilis;
Scilicet hac una, sedes imitante supernas,
Iure superbiret rerum pulcherrima Roma:
Artifices video templo tibi, Paulle, sacrato,
Quod furtim absumens rapidus male perdidit ignis,
Intentos reparando iterum, instantesque labori.
Iam, velut in media scopulus iacet Amphitrite
Ingens, et summo prope nubila vertice tangit,
Ecce mihi moles robusta, aequataque coelo
Cernitur: hic olim gladiator munere laudis
Arsit, et infecit generoso sanguine arenam;
Nec non et densis frontem suffulta columnis
Cernitur, antiquis exstructaque ritibus aedes;
Hic, formosa, tui cinerem veneraris Apellis,
Ausonia, et tumulo ferventia basia libas.
Adspicio passim Pharii monumenta Canopi,
Sermonem inscripta ignotae tot saecula linguae.
Mirum opus artis equos spiranti e marmore cerno,
Frena pati indociles, plantis insurgere primis;
Forsitan hos, quondam propriis si forte videret
Luminibus, caneret, lyrici qui carminis auctor
Dircaeas sacro decoravit pectine Thebas.
Praxiteles, Venerem; Iunonem, Phidia, miror;
Laocoon, gnatos miseror, tuaque aspera fata,
Serpentum et vellem dissolvere corpore nexus.
Ast, ubi quod veterum memini superesse viarum,
Romanique fori, haud oblita mente recursat,
Stant animo Fabii, virtusque severa Catonis,
Atque olim prisco quidquid decus attulit aevo:

Tunc, Auguste, tuos videor celebrasse triumphos
Nimirum, et colubris candentia brachia morsae
Reginae, et Nili effigiem vidisse subacti.
At male sit vobis, Arcto quicumque ruentes
E gelida, aeternae moliti funera Romae!
Non secus ac torrens hybernis imbribus auctus,
Obiicibus ruptis, laetos magno impete campos
Vastat, et annoso prosternit robore plantas.
Haec, et plura simul credas me, candide amice,
Volvere, dum Vesper tollens vaga lumina Olympo
Suadeat ire domum, et primae decedere nocti.

Faventiae III. Non. Ian. An. MDCCCXLIV.

AD

FELICEM CASONIVM

QVVM MITTERET EI CARMEN, CVI TITVLVS · APOLLO ·

EPISTOLA

Casoni, ante omnes mihi iucundissime amicos,
Quicum primaevae felicia tempora vitae
Exegi, studiis formans ac rebus honestis
Mentem; dum, vidui pertaesus tu modo lecti,
Uranii rursum sectaris castra Hymenaei,
Me quoque laetantis depromere gaudia cordis,
Et sine Musarum tibi dono munera ferre:
Non oblitus enim, quod nostras ipse solebas
Nugas perlegere, atque aliquid simul esse putare:
Quare carmen habe, retuli quo carmine Phoebum
Marmoreum, mihi spectatum, quà maxima Roma
Et Graias artes, rerum et miracula servat.

AD EVNDEM

DE LAVDIBVS MARCI ANT. FLAMINII

EPISTOLA

Nunc ego, dum flammis bacchatur Sirius, aestum
Lenio sub placida deiectus molliter umbra,
Atque meos reputans exacti temporis annos
Mente agito primae suavissima gaudia vitae;
Cum tecum Aonidum sacras formatus ad artes
Toto animo celsi properarem ad culmina Pindi:
Quapropter, iucundi dum sequor otia ruris,
(Suetus adhuc citharae percurrere pectine fila)
Ni renuas, dono tibi mittam carmina, amice,
Queis, tu quandoquidem patriâ laetaris eâdem,
Iam modo Flaminium accingar celebrare Poetam.
O decus egregium, Syllanae maxima et urbis
Gloria, qui decimi praeclara aetate Leonis
Carmine divino instaurasti Caesaris aevum;
Cum, defuncta malis, redierunt tempora in aurum,
Tempora Saturni felix imitantia regnum:

Dum Veneres docti vigeant, et amica Catulli
Lesbia, muneribus felicis dulcior Hyblae,
Dum tuba Virgilii resonet, mirataque spargat
Verno posteritas illius flore sepulcrum,
Semper laude recens per saecula, Marce, nitebis;
Nam, seu tu rapido prostratus languida morbo
Membra salutiferam compellas carmine Divam,
Sive tui revehis Farnesi ad sidera nomen,
Olli deproperans mansurae praemia laudis,
Quis neget Aonias placido vidisse Camoenas
Lumine te viridi praecinctum tempora lauro?
Qualis vere novo sobolem cum Thracia mater
Absumptam queritur, si fletibus indulgendo
Iam tandem longos possit lenire dolores;
Talis, iucundae miseratus funera Hiellae,
Suaviter adsiduas fudisti e corde querelas.
Per te morte obita ante alias pulcherrima Hiella
Fama vivit adhuc: carae Petrarca dolebat
Non secus interitum Laurae, quo tempore primum
Ausonia Hetruscae sensit miracula linguae.
At cum, desertis Benaci suavibus oris,
Pausilipi laetos optasti visere colles,
Quos, age, tum versus, quae fervida vota ciebas,
Si tibi dilecta liceat considere terra?
Hic ubi delicias rerum natura creavit
Omnigenas, semperque levis viget aura Favoni?
Hic ubi Virgilius componi versus in ossa
Delegit, fato ante diem surreptus acerbo? =
Silva beata, mei fertur qua vatis imago
Florentes inter spectata incedere mirtos,
In te suspiro, patriâ tu gratior orâ
Es mihi, et Elysiis te certe praefero lucis!

Terra beata, mihi reliquae da munera vitae,
Ac deinde exanimum gremio complectere corpus! =
Sic tu dicebas, quae vere digna Tibullo
Carmina saepe iterum atque iterum legisse recordor;
Quippe tui manant Elegi dulcedine, quali
Threicii memorem diffusa poemata vatis.
Ergo te semper colui, divine poeta,
Optavique tuis haurire e fontibus undam,
Atque tuum semper gratus meditabor honorem,
Donec vita mihi morituros fulciat artus.
Ast ego non ultra persolvam carmina, quando
Mens avet huc illuc spatiari libera curis.

Rure III. Kalendas Sextilis An. MDCCCXLIV.

AD

ANGELVM AEGIDIVM

EPIGRAMMA

Angele, non equidem, fontem si quando viderem
  Blandusiae, colles et memores lyrici
Vatis, nuper ubi carpebas otia ruris,
  Afflarer dio numine Pieridum;
At, posito fastu, numeris lusisse puderet
  Attonitum veteri Relligione loci.

AD

DIONYSIVM STROCCHIVM EQVIT.

EPIGRAMMA

Linguae tutatum Latiae bene iura libellum,
  Cuius nunc avido copia facta mihi est,
Id, Strocchi, tuum opus, certe me oblectat, ut agros
  Ver molle, aspirat cum Zephyri aura levis.
Ecce tibi mitto de re mea carmina eâdem,
  Tu precor haec aequis adspice luminibus,
Ne Bavius dicar, te iudice, adesse renatus,
  Vel si quis fatuo peior erit Bavio.

AD

FRANCISCVM ZAMBRINIVM V. CL.

EPISTOLA

Quod tu membranis a prima aetate sepultum,
Nostra conscriptum lingua, studiosus ab arte
Detegis, ac meritum superas producis in auras;
Id mihi cum dono, Zambrini candide, mittis,
Munera fers potiora auro, potioraque gemmis:
Nam, linguae gazas depromens saepe latentes,
Dilectae proprium Italiae decus addere curas;
Cui decori officiunt, incommoda pessima saecli,
Qui tumido pleni fastu studiisque carentes
Quaerunt scribendo sine sensu laudis honorem:
His vulgi favet aura volubilis, ut favet olli,
Ob lucrum mediâ qui exsultat ineptus arenâ:
Ast horum miseris quae tradita opuscula chartis
Dispereantque brevi, atque aeterna oblivia ducant.
Naturam, et veteres sectatur iure magistros,
Qui scriptis longam meditatur degere vitam.

Exemplum hoc praebes: quare tua fama per orbem,
Zambrini, semper volitet fugientibus alis.

Faventiae xvi. Kal. Feb. An. MDCCCLI.

RAPHAELI MAROZZIO

PRAECEPTORI HVMANITATIS

IN EPHEBEO PIO PERVSIAE AVGVSTAE

ELEGIA

Qui modo pro tantis, Musarum candide alumne,
  Quae crebro mittis dona beata mihi,
Ut quoniam tibi voce expromere non datur arcto
  Te mihi devinctum foedere amicitiae,
(Quandoquidem diversi haurimus luminis auras,
  Diversique brevis tempora vitae agimus;
Tu facilem formans Trasymeni ad littora pubem
  Litterulis catus et moribus ingenuis;
Lentus ego potans, Anemo, tua flumina, tecum
  Turris fata queror dum miseranda tuae,
Quam rapido absorbens disiectam vortice praeceps
  Ipse superfusis condidit amnis aquis,
Tum cum, se illa super quem nobilis attollebat,
  Procubuit casu pons vetus horribili)
Id re significes, et me, potioribus auro,
  Muneribus longe sedulus afficias,

Sive mihi tua Coelicolis quod ludit amica
  Interdum, Latios docta Camoena modos,
Mittere sive cupis dono quod saepe virorum
  Huc praeclara ferunt pulcrius ingenia;
Quitibi, quod, Raphael, gratum acceptumque, rependam?
  Conscriptum hoc tribuo carmine epistolium:
Etsi iamdudum citharae mea fila canorae
  Cessent, iucundos reddere inepta sonos,
Quos didicere, imberbem aluit quo tempore ephebum
  Me bene dilecto Felsina cara sinu,
Felsina, deliciae Musarum, Felsina, nomen
  Dulce, mihi patrio quae mage cara solo est.
Hic sectatus enim Aonidum felicia castra
  Phoebea studui cingere fronde caput;
Hic mihi divini tuba non peritura Maronis
  Aures personuit suaviter attonitas
Non raro, et citharae blando modulamine Flaccus
  Saepe decus famae quaerere me docuit.
Sed fuerunt olim haec gratissima; dispulit aetas
  Velox e nostro gaudia cuncta animo.
Quare si nequeo tibi nunc persolvere versus,
  Vellem uti, et argutae tangere fila lyrae,
Hoc fit, quod sacrae oblitum prope carminis artis
  Numine Pierides destituere suo:
Non secus obscura deprensus nocte viator
  Inceptum prope iam pergere nescit iter,
Si, quae sublimi diffulgens axe regebat
  Illius incertos lucida stella pedes,
Aut claro Lunae rutilantis victa nitore,
  Nubibus aut furvis abdita delituit.
Tu vero Latiae callens ante omnia linguae
  Sermonem, nostra quem exigere Hesperia

Conatur malesana cohors, molita ruinam
 Hesperiae, saecli incommoda et opprobria,
Tu magis, o Raphael dilecte, probante Camoena,
 Perge age iucundis ludere carminibus,
Ut, duce te, iuvenes superare cacumina Pindi,
 Castalii et valeant sumere fontis aquam,
Ac tua certatim vestigia clara secuti
 Denique se magnis vatibus inserere.

Faventiae IV. Idus Aprilis An. MDCCCLVI.

AD

PETRVM CODRONCHIVM

CONVICTOREM

IN EPHEBEO S. ALOISII BONONIAE

ELEGIA

Res fluxas hominum! velut unda supervenit undam,
  Actas perpetuo non reditura fugit;
Nec mihi iam redeant anni feliciter acti,
  Enutrit dites Felsina quà pueros;
Tum cum parvus ego, desertus utroque parente
  A puero, illam adii cultum animi ut caperem.
Felices anni! fortunatissima sedes!
  O mihi natali gratior illa domo!
Hic mihi nam virtus, terras quae exosa iacentes
  Tollit perspicuum fulgida in astra caput,
Et patuit dia mulcens dulcedine corda
  Relligio, ex qua sunt omnia nata bona:
Hic didici in primis, rerum pulcherrima Virgo,
  Felix divina Coelipotens sobole,
Te colere, ac facilem trepido persaepe vocare
  Te mihi, et amissae matris habere loco:

Hic didici vitae intemeratos quaerere mores,
  Et claram pulcrae laudis inire viam:
Hic citharae cantus aptare, et, castra secutus
  Vatum, iucundis ludere carminibus:
Hic admirari, coelestia dona, poema
  Virgilii: Hic cepit me tua, Flacce, Lyra:
Hic memini valde caros tenuisse sodales,
  Atque mihi iunctos vinculo amicitiae;
Quorum immaturo pars eheu! funere mersa est,
  Pergit adhuc vitam pars recreare meam;
Qualis brumali concretos frigore campos
  Sol fovet interdum, spemque alit agricolis;
Aut qualis, medio dum fervet Sirius aestu,
  Arida prata iuvat plurimus imber aqua.
Sed fuerunt olim haec mihi: sorte beatus eâdem
  Tu modo, lectorum flos iuvenumque decus
Eximium, Codronchi, sub penetralibus illis
  Mentem animi nutris nobile et ingenium.
Hic tibi nam pariter virtus, et stat tibi cordi
  Sincerus diae Relligionis amor,
Tum pariter sequeris Musas, et multa laboras
  Posse caput lauro cingere Apollinea;
Ut patriae laus ille tuae, qui digna Tibullo
  Carmina, et Hyblaeo dulcia melle magis
Fudit, dum carae resonarunt nomen Hiellae
  Et nemora et silvae passim iterum atque iterum.
Quare, age, dilectis, precor, utere, dum licet, annis,
  Qui cito diffugiunt, atque negant reditum;
Matura inque vicem, et, quae non optabitur, aetas
  Iam subrepet iners, denique et interitus:

Utere ; sic poteris lenire incommoda vitae,
Sic ad Coelicolum, morte obita, ire domos.

Faventiae VII. Kalendas Sextilis An. MDCCCLVII.

AD

BERNARDINVM QVATRINIVM

RHETOREM

IN EPHEBEO PIO PERVSIAE AVGVSTAE

CARMEN

Egregium Hesperiae columen, dilecte Quatrini,
Sive opus est facilem vestigia candida vatum
Et tua, die Maro, et tua, Flacce, docere iuventam,
Sive opus est cedro dignos expromere versus;
Laetor laude tua, ac praeclarae gratulor urbi,
Quae gremio refovens te fortunata superbit:
Et modo, dum reditum bruma ver molle fugata
Maturat, Zephyrique levis comitantibus auris
Tempus amabile agit, te dulcis amice, saluto;
Tum, quod sollicitae meditatur musa levamen
Vitae, sic temere tibi carmine sumo referre,
Quomodo Athenarum decus artes nobile quondam
Formosae Iuli decorarunt regna secundi.
Postquam Romano te, candida Graecia, ferro
Mummius edomuit, necnon miracula et artes
Abstulit, ac viridi redimitus tempora lauro

Nimirum insueta ornavit Capitolia praeda;
Diva coacta suis exul decedere Athenis
Ad Tiberim sedes fertur posuisse Minerva:
Tunc ridere magis; tunc aurea saecla parare
Scipiadum claris fortuna nepotibus, olim
Qualia te propter iactarunt, Phidia, Graii.
Ecce autem venit tot iam labentibus annis
Aetas, quae, antiquum Roma detergere fumum
Callida, formosas in apertum protulit artes.
Tunc vox Italiam subito exaudita per omnem:
Graiugenum heredes, quando praeclara tenetis
Illorum monumenta, illorum hauritis et auras
Adsimiles, vestro indulgete o denique fato.
Ac, velut in stipulas casu dilapsa favilla
Porrigitur late, et vastum se tollit in ignem,
His verbis Itali perculsi laudis amore
Adproperare novas, facto velut agmine, Athenas.
In primis aderas, Michaël, coelestia dona,
Scilicet Angelica qui grandia mente volutans
Conatus prope naturam superare per artem.
Nam, sive interdum sane clarescere ad instar
Praxitelis tibi cura fuit, vel pingere Apellis
Ritu, sive aliter famam tibi quaerere in aevum,
Antiquam solus potuisti vincere laudem.
Te duce mirificam Petri supereminet aedem,
Sublimique tholus contingit vertice nubes;
Per te qui potuit virga seiungere fluctus
Marmore vivit adhuc: ut terrent lumina fronte!
Ut barba e prisco dependet candida mento!
O quam maiestate gravis! quam numine dio
Afflatus! certe Isacidis dare iura videtur.
At quo supremi dicetur imago dici

Carmine, Xistinum clarat quae picta sacellum?
Illic Aligeri septem clangore tubarum
Humana e tacitis compellunt ossa sepulcris.
Ecce autem late per humum dispersa videntur
Membra coire simul fingenda in corpora; Iudex
Stat medius, dextraque minax, placidusque sinistra
Praemia virtuti, poenas culpaeque daturus;
Et iuxta Mater, vultum deiecta modestum,
Virgo iras Gnati prope iam suspensa veretur:
Dextra suspiceres, proprio qui sanguine Christi
Dogmata firmarunt, gestare insigne triumphi.
Tum parte ex alia, visu miserabile, sontes
Invitos trepidos protrusos tendere in Orcum;
Subter enim Stygiae rutilant incendia flammae.
At super in coelum regni coelestis Alumni
Inclyta victoris commonstrant signa Theandri.
Tuque aderas, decus Urbini, et miracula terrae
Ausoniae, heu prima fatis surrepte iuventa!
Frustra; nam vivis, Raphael, mansurus in aevum;
Quippe artis monumenta tuae fugientibus alis
Inclyta perpetuo tollit super aethera fama.
Sed nimium ne forte morer tua tempora, amice,
Inceptos ultra mittam producere versus,
Quos habeas olim finitos, si Deus adsit.
Interea curis vacuum florescere campos
Me iuvet aspicere, atque auras captare Favoni.

Faventiae pridie Kalendas Aprilis An. MDCCCLVII.

LAVRENTIO COSTAE

EPISTOLA

Quae tu, dum peragis securo tempora rure,
Costa, mihi nuper misisti carmina dono,
Iucunda tetigere meum dulcedine pectus
In tantis rerum lacrymis solantia curas;
Namque asper vitiis, virtuti candidae amicus
Et pravos hominum mores sanare laboras,
Et cladem Ausonia longe depellere terra.
Unus paucorum tu diô munere vatis
Fungeris eximie, validisque potentior armis
Exsuperas acri sapientis verbere linguae;
Et patriam decoras et multo nomine notus,
Incedis sacra redimitus tempora lauro.
Iam si, quos laetos tua ducit epistola sensus,
Exprimere atque tibi meritas persolvere grates
Non opis est nostrae; at carmen pro carmine reddam.
Ecquid enim blandis est versibus anteferendum?

Et magis unanimis quid sane ridet amicis?
Praecipue Maecenatem tuà movit, Horati,
Testudo, ac tua personuit tuba Caesaris aures
Dulce, Maro; doctos illi coluere poetas
Solando Musis animum, vitaeque labores.
Tu quoque, Costa, meo (nec spes me credula fallit)
Carmine gaudebis; nam, ignotus caetera, primum
Carminibus placui tibi, quae tenues mihi nugae
Nempe videbantur, tu aliquid contra esse putasti.
Certe ego Pieridas a prima aetate secutus
Saepe laboravi Phoebeam carpere frondem:
Et, tum cum, patriae spes, eheu! vana, iuventus
Unguentis imbuta comas, et splendida luxu,
Nocte frequentabat densi spectacla theatri,
Ac bona dicere io, palmis et plangere palmas
Nunc pariter sonitus dulces vocesque canoras,
Nunc pariter choreis facilem admirata puellam,
Multum insudabam libris, studiosus honestae
Famae, iure quidem meruit quam docta vetustas.
O bene factum! quod coelestia munera amicos
Musa mihi peperit, quales nec candidiores,
Nec proprius mage queis sit honos haec saecla tulerunt.
Primus, Costa, venis, nulli virtute secundus,
Utilis et patriae, quo carmine Flaccus amaro
Claruit obiurgans vitiorum quidquid ubique est.
Dein sequitur Grossus [1] sermonem doctus Achivûm,
Battiadae et numeris bene ludere callidus aureis.
Nec te praeteream, Genuae decus, inclyte Poggi, [2]
Addit perspicuum cui rara modestia honorem
Doctrina simul incocto, ingenioque nitenti;
Quem vero fortuna bonis, proh! vexat iniqua
Impavidum constantem propositique tenacem:

Nec vos, egregii fratres, [3] Ferruccia proles,
Praeteream, decus Italiae, quorum utraque cum sit
Laus, dubito an maior Latii an sermonis Etrusci:
Aemiliae invidit vos pulcra Etruria questae
Ereptum decus et doctrinae commoda vestrae.
Teque libens memorem, Quatrini, teque, Marozzi,
Clarum par iuvenum, [4] Trasymeni qui prope litus
Et citharam Flacci, atque tubam resonare docetis
Virgilii, et Charites Albi, Veneresque Catulli:
Didace [5], teque libens latiae in certamine musae
Victorem, ac merito decoratum pectus honore;
Te prope Scyllaeam rabiem Calabra ora superbit,
Saepe tuo resonans Xiphia, ac te gaudet alumno.
Denique commemorem ut, Vallauri classice, [6] amico
Te mihi dulce frui sit, quam nil dulcius ulli;
Quippe meum oblectant animum dignissima coelo
Scripta tua, Augusti reparant quae Caesaris aevum.
Nonne igitur Musas pergam celebrare merentes,
Costa, libens, ludos et dedignatus ineptos,
Quando eget interdum grato solamine tempus,
Iucundisque solent decedere seria rebus,
Carmina componam caris placiturus amicis?

Ex rure meo Cosinano ad Faventiam quarto Kal. Oct. An. MDCCCLVIII.

1 - Stephanus Grossus eques ex Sodalitate Somasca, graecis latinisque insignis litteris.

2 - Philippus Poggius Canonicus, vir eruditissimus in Regio Genuensi Archigymnasio latinae Eloquentiae Professor Emeritus.

3 - Aloisius Chrysostomus, et Michael equites Ferruccii, viri celeberrimi.

4 - Bernardinus Quatrinius, et Raphael Marozzius, viri litterati.

5 - Didacus Vitriolius eques, vir ingenio et litteris nulli secundus.

6 - Thomas Vallaurius eques ubique gentium clarissimus, de quo libet subiicere hoc Amadei Ronchinii pulcherrimum epigramma.

Advena qui Ausoniam pergis contemnere nostram
    Electis dudum ceu studiis vacuam,
Alpibus excultas modo Musas cerne sub ipsis,
    Prisca vide ut studiis gloria constet ibi:
Namque agit ad Latias iuvenes Vallaurius undas,
    Allicit ad fontes Grossius Argolicos.

AMADEO RONCHINIO EQ.

PRAEFECTO TABULARII PARMENSIS

EPISTOLA

Ronchini, linguae sermonem docte latinae,
Sive opus est iuncto pede scribere, sive soluto,
Sive memor tumulis carmen superaddere ; quando
Me capit idem amor, et studio delector eodem,
Salve, ac Musarum, quodcumque est, accipe munus,
Quo tibi iam refero, quid agam hoc in turbine rerum,
— Itala dum saevis tellus circumsonat armis. —
Iucundas sequor, et Mavorti praefero Musas.
Otia si repetam, mihi donant otia Musae ;
Si curas relevare animi vitaeque labores
Exoptem, Musae curas relevantque labores ;
Denique, si famae, quaeram decus, atque superstes
Vivere, morte obita, extento haud inglorius aevo,
Nempe decus famae spondent ante omnia Musae,
Et nomen servant, invita morte, superstes.
Carmina ni divina forent, data munera agellum

Militibus caro non redderet ille Maroni
Caesar, non pecudes raptas, non otia, dicens:
— Pascite, ut ante, boves, pueri, submittite tauros. —
Dic mihi, delenit, miser heu! quid te nisi versus,
Lesbia dum saevo corda urit amore, Catulle?
Dic mihi, delenit quid te magc versibus, Albi,
Dum miser heu! metuis formosae furta Neaerae?
Troiani belli scriptor per secula vivet,
Maeonio vivont heroes carmine dicti.
At Mavors horum non certe causa bonorum est;
Namque, ubi vicinum lituus denuntiat hostem,
Cor micat, atque metu trepidanti fluctuat et spe:
Ut mare quum ventis superimpendente procella
Oppositis agitatur, fundo et volvitur imo.
Fit pugna, exoritur caedesque miserrima, gentem
Et metit humanam milos, ceu messor aristas.
Sed tibi contingat, quaeso, victoria laeta,
Atque, triumphali redimitus tempora lauro,
Incedas nulli non conspiciendus in armis,
Quid? fateor, ponatque tubam, pennasque volucres
Solvat fama brevi; si non tua dicere facta
Vates, et sumat doctis intexere chartis:
Quandoquidem satis haud prosint tibi marmora et aera
Nomen scripta tuum, aut vivos referentia vultus;
Utpote quae longa paulatim aetate peresa
Et nomen perdant et fictos denique vultus.
Ergo iure sequor, Mavorti et praefero Musas;
Ob quas praeterea bene doctis laetor amicis,
Ac te praecipue, Ronchini candide, verum
Italiae decus et dilectae gloria Parmae.

Faventiae quarto Idus Februarii An. MDCCCLX.

STEPHANO GROSSO

EX ALBA DOCILIA IN LIGURIBUS
SODALI SOMASCO

DOCTORI LITTERIS GRAECIS ET LATINIS TRADENDIS
IN LYCEO REGIO NOVARIAE

ELEGIA

Quum tibi, sectanti Musas, cxpromere dulces
  Musarum foetus saepe ego discuperem,
Ut, quamvis parvo, te denique munere donem,
  Candide Grosse, tua laetus amicitia;
Utque animum nostro videas in carmine, qualis
  Cernitur in speculo corporis effigies;
Blanda requirebam, sacris et amica poetis
  Otia, quae raro nos recreare solent;
Atque requirebam securum pectus ab omni
  Parte, iocosque leves, laetitiam et comitem:
Verum, pro pace, et vacuo pro pectore curis,
  Proque iocis, et pro simplice laetitia,
Nunc acies, nunc bella sonant, quacumque recedit
  Amplifice tellus Itala, noster amor;
Atque sonant lacrymae, et, prope iam divina futuri,
  Non cessant trepido corda micare metu.

Quare, ut, dum nigro furit horridus aere turbo,
  Amplius haud liquido gutture cantat avis,
Et taciturna manet, donec iucunda Favoni
  Rursus dilectum pervolet aura nemus;
Non aliter reticerem ultro, tacitusque manerem,
  Donec pax Italos alma revisat agros.
Sed, quoniam arma inter, clangorem interque tubarum
  Interdum citharae gratus adest sonitus;
Quippe animum mitem inspirare ferocibus ille
  Assolet, ac timidis addere militibus
Mentem, victrices et concelebrare phalanges
  Assolet, atque bonos tollere in astra duces;
Nec non et curas solatur blandus amaras,
  Atque fovet rebus laetitiam in trepidis:
En tibi, cui graece pulcrum est, et scire latine,
  Isthaec, sic temere, carmina persoluo,
Quae, quamquam Latias valde ac studiosus Achivas
  Miraris Musas, unde Catullus adhuc
Vivit, et Aeneam et fata infelicis Elisae
  Olim divino qui sonuit numero;
Unde auditur adhuc, superis dignissima, cycni
  Dircaei lyra, docta et lyra Battiadae,
Accipe, qualiacumque, tamen, precor, accipe; nostra
  Nec compone illis ludicra deliciis.
Scilicet ingenium hic quaeres, hic scilicet artem;
  Sed carum invenies pignus amicitiae,
Quae primum nata est, quum uno simul edita libro
  Advenere tuas carmina nostra manus:
Tunc, illa esse putans aliquid, me totus amasti;
  Mutuus est noster tunc quoque factus amor.
Ergo carminibus sit plurima gratia nostris,
  Causa tuae fuerunt quae mihi amicitiae.

Sic viridi semper queat haec florere iuventa,
  Et nobis clarum pergere ferre decus;
Sic maneant et plus uno illa perennia saeclo,
  Immo etiam saeclis innumerabilibus.

Faventiae nonis Decembris An. MDCCCLX.

IOSEPHO CANALIO

CANON. METROPOLIT. BONONIAE

CVBICVLARIO INTIMO PII IX. PONT. MAX.

ELEGIA

Iam Flacci oblita, et divini oblita Maronis,
  Et citharae, per quam Lesbia vivit adhuc,
Nimirum propriam, quâ maxima habetur in orbe
  Terrarum, laudem negligit Italia;
Ast aliena fovet levis, et pervolvere ineptas,
  O pudor! adsidue curat ephemeridas,
Quae, veluti rapidus siquando flumine late
  Turbidulo pingues obruit amnis agros,
Nempe facit steriles sulcos, vilemque ferentes
  Algam fecunda pro segete, ac tribulos,
Non aliter nugis labefactant mollia vanae
  Afficiuntque atris corda magisteriis;
Hinc et pro sophiâ tenet ipsa inscitia regnum,
  In multa et ruimus nos mala praecipites;
Spernimus hinc miseri pietatem, munera coeli,
  Hinc permiscemus fanda nefanda simul.

Ergo si dulces non cessat amare Camoenas
  Nostrum aliquis, si non tangere fila lyrae ;
Si rite in primis Triplicem veneratur et Unum,
  Scilicet a quo sunt omnia facta Deo,
Teque colit, Virgo, luna formosior alba,
  Quae regina domus diceris aetheriae,
Labis et expertem quam sane ab origine prima
  Veridico Nonus protulit ore Pius ;
Si pacem sequitur pulcherrima et otia pacis,
  Et cunctos animo diligit ingenuo ;
Ast odit strepitum armorum, sonitumque tubarum,
  Atque graves odit Principum amicitias,
Ceu Phoebo, ac Zephyris laetatur nauta, sed horret
  Nubila, et insani vim rabiemque Noti ;
Quam bene securae producit tempora vitae ;
  Exemplo patriam quam iuvat ille suo!
Unus paucorum es, Canali, docte latinae
  Sermonem linguae ac munera Pieridum,
Qui carae decus Italiae servare laboras
  Antiquum pulcris foetibus ingenii,
Et pietate nites, simul et virtutibus, aequos
  Fulgere dant homines quae prope coelicolis.
Quod si secla tuae sunt haec contraria laudi ;
  Ut flos in dumis, si modo desereris ;
Tempus erit, quum iam pietas, ipsique vetusti
  Regnum iterum mores, ac teneat sophia :
Quum, redimita caput viridantis termite olivae,
  Denique pax nostros alma revisat agros :
Tunc laeta exultet, tardos et reddet honores
  Valde promerito patria grata tibi.

Hoc utinam veniat, precor, exoptabile tempus,
Hoc egomet votis, si licet, accelero.

Faventiae Idibus Decembribus An. MDCCCLXI.

IOSEPHO BERTOLDIO

E PROCERIBVS ORDINIS EQVESTRIS
MAVRITIANI LAZARIANI

ELEGIA

Ultro pollicitus quae sum tibi carmina nuper,
  Ecce ego, Bertoldi candide, persoluo;
Namque soles donis quidquam gaudere mearum
  Musarum; captus sive tubae sonitu
Sector divini vestigia clara Maronis,
  Tangere seu conor pectine fila lyrae,
Quae tetigit Flaccus, dum annos monet esse fugaces,
  Grataque vel magnis eloquitur superis
Sive, Elegos facili moestos imitatus ab arte,
  Atque, Catulle, tuos, atque, Tibulle, tuos,
Aeterna frontem lauro vincire laboro,
  Ut me secernam sic humili a populo:
Tu quoque sectaris Musas, et carmine mulces
  Auras dilectae suaviter Italiae;
Dum te, quaerentem miserae solatia vitae,
  Seria carminibus posthabuisse iuvat;

Posthabet ut somno lassus mollique quieti
  Obscura longum nocte viator iter :
Posthabet et mediis securum litus ut undis
  Expertus dubii nauta pericla maris.
Quandoquidem tantum recreant te carmina, quantum
  Squallida ver tristi recreat arva gelu,
Et quantum aridulas herbas, fervente Leone,
  Effusa reficit imber amicus aqua.
O si, me autumno cum dulcia rura tenebant,
  Quà collis laetos Sapina Felsinei
Alluit amne pedes, atque urbs turrita videtur
  Non longe, patrià quae mihi cara magis!
Si, veluti sperare dabas, mecum ipse fuisses
  Sive dies, horae sive brevis spatium,
Tunc ego, iucundis tibi valde amplexibus haerens,
  Firmassem pulcrae vincula amicitiae,
Vincula quae maneant, donec bene amemus uterque
  Pieridas, decus et delicias hominum,
Quae, Latiis aeque, Tyrrhenis versibus aeque
  Insignes, tulerunt nomen ad astra Italum ;
Sed modo, vae! propria veluti de sede fugatae,
  Antiquae montes Arcadiae repetunt,
Si non pauci contra obnitimur, atque medullis
  Nos totis haec incumbimus in studia.
Perge igitur doctos Musarum expromere foetus,
  Candide Bertoldi, ac otia grata sequi ;
Haec erit egregiis tibi laus e laudibus ; haec laus
  Perpetuo nostram servet amicitiam.

Faventiae Kalendis Ianuariis An. MDCCCLXIII.

KAROLO CONTIO COMITI

CONVICTORI ALVMNOR.

EPHEBEI FAGNANIANI PATAVII

ELEGIA

Quod tu misisti nuper, mi Karole dulcis,
  Hoc mihi iucundum venit epistolium;
Hinc etenim novi esse tuis te in amore magistris,
  Quod docta incumbis sedulus in studia,
Atque colis metuisque Denm, quo iudice culpam
  Poena et virtutem praemia certa manent;
Insuper et pergis totis adamare medullis
  Illam et dilectae matris habere loco,
Quae, divina Parens magnum decus addita coelo, est
  Nostra salus, nostrae causaque laetitiae;
Et, facilis laeto velut arbor crescit in horto,
  Tempore maturo ut grandia poma ferat;
Non secus hic tenerae primaevo flore iuventae
  In spem carae adoles et columen patriae.
Hic ubi delectos iuvenes, pulcramque cohortem
  Sede fovet tuta, ac educat urbs Patavi,

Urbibus ex Italis properat quos cura parentum
  Salvos a tantis reddere nempe malis.
Ergo iucundus mihi nuncius atque beatus!
  Iucundum, quantum est nil mage, epistolium?
Sed tua iam virtus, memini, sincera, tuumque
  Hunc fore te mihi promiserat ingenium,
Cum, duce me, latios didicisti condere versus
  Principio, et Pindi per iuga ferre pedem;
Cum tibi permulsit grata dulcedine pectus,
  Me duce, divini fistula Virgilii;
Seu dulce illa canit - cuium pecus? an Meliboei? -
  Seu dulce illa gemit Daphnidis interitum:
Tunc ego virtutemque tuam ingeniumque probabam,
  Gaudebam caro tunc ego discipulo;
Ac tibi dicebam: si tu sectabere Musas,
  O dilecte puer, crede, tibi bene erit.
Nimirum Musae relevant fastidia vitae,
  Aestiva recreat gramen ut imber aqua:
Musae dant solido famam magis aere perennem:
  Aurea nam vivunt carmina perpetuo.
Dilectus Musis coeli terraeque potentem
  Dices, a quo sunt omnia facta Deo;
Post hunc innumeras celebrabis Virginis almae
  Laudes, una hominum quae sine labe fuit;
Denique nec, nostri miracula maxima saecli,
  Tu poteris Noni facta silere Pii,
Qui, Tiberim prope si nunc regnat egenus, inermis,
  Attamen est forti victor ubique animo.
Quare age, perge sequi Musas, ut talia cantes;
  Tunc tibi praecingant laurea serta comas.

Faventiae XIII Kalendas Februarii An. MDCCCLXIV.

AD

THOMAM VALLAVRIVM EQUITEM

DOCTOREM DECVRIALEM
REGII ATHENAEI TAVRINENSIS
LATINAE ELOQVENTIAE TRADENDAE

ELEGIA

Sive opus est Latiae laudes nunc dicere linguae, [1]
  Vallauri, nomen nunc celebrare tui
Regis, [2] quo domino secura per otia duxit
  Felices annos, ac tulit omne decus
Urbs, vice quae ingrata fuerit mox Regia, carae
  Vicina, heu, nimium finibus Italiae:
Sive opus est doctis titulis diffundere in aevum
  Noni virtutes et benefacta Pii,
Ut nempe est animo gavisus parcere miti
  Compede vel vinctis vel patria profugis,
Et decorat Romam immortalibus ut monumentis;
  Ipse domum decorat qualis herus propriam;
Ut non arma tremit, non ora minacia Regum,
  Pauperiemque inter Dia ope dives adest;
Tum passim miseris bonus, et succurrit egenis;
  Ut praesto gnatis est pater usque suis:

Sive opus, insanas methodos bene fabula carpat,
  Temporis antiqui si revocet studia,
Quo rursum iucunda aures lyra vatis Horatî
  Personet attonitas, et tuba Virgilii;
Quo vigeant rursum Alighieri carmina, queis nil
  Pulcrius, humanum nec fuit illud opus;
Scilicet haec peragis rara mirabilis arte,
  Dum pandis sophiae lumina clara tuae.
Quare te laetor, Vallauri maxime, amico,
  Aestiva gramen ceu recreatur aqua,
Et cupio votis, quando exoritur novus annus,
  Candidus hic tibi, quo non magis alter, eat,
Cumque novo pariter iucundi mille sequentes;
  Sic annos possis vivere Nestoreos.
O si te iuvenes pergant celebrare magistrum,
  Si, duce te, pergant cultum animi capere,
Spes Italae, iuvenes! quam vitae exempla decorae
  Praebebunt, acris munera militiae,
Sive bonae pacis sectentur gaudia et artes;
  Hi quocumque iuvent usque modo patriam:
Namque doces illos doctrina fingere mores,
  Et pulcrae laudis semper inire vias;
Non aliter dulces maturo tempore fructus
  Laturam assiduo cultor alit studio,
Vivida quae ramis surgens viridantibus arbor
  Paulatim est horti delicium atque decus.
Ergo quî nostrí rarissima gloria saecli,
  Te possim meritis dicere carminibus?
Nam tibi non tribuit merito sat patria laudum,
  Non tibi sat merito, qua patet, Italia;
Quippe etiam, quacumque nitet doctrina per orbem,
  Atque hominum cultus excolit illa feros,

Insignis tua fama volat, semperque vigebit,
Dum vaga nocte micent sidera, solque die.

Faventiae Kalendis Ianuariis An. MDCCCLXV.

---

1 - Vid. orationem, quam Thomas Vallaurius habuit in auditorio maximo Regii Athenaei Taurinensis de studio Litterarum Latinarum prid. nonas Novembres An. MDCCCL.

2 - Caroli Alberti. Vid. orationes, quas idem Vallaurius habuit de laudibus Regis Caroli Alberti prid. non. Novembres An. MDCCCXXXIII. et prid. non. Novembres An. MDCCCXXXV.

PHILIPPO POGGIO GENVATI

DOCTORI EMERITO LATINAE ELOQVENTIAE

IN PATRIO ATHENAEO

ELEGIA

Quod nostra oblectare solent te carmina, Poggi,
(Siquando moestis ploro viros elegis
Egregios, dulci mihi iunctos vinculo amoris,
Iniecit cupidas mors quibus atra manus;
Dicere vel sumo iucundis versibus illos,
Antiquum nostrae qui decus Italiae
Hactenus et virtute boni ingenioque tuentur;
Hactenus, heu pauci! spesque fovent aliquid
Italiae, quae utinam ne iterum tibi, Gallia, credat,
Perdat opes ne iterum cum decore ipsa suas!
Ut cymbam ventis male credit navita iisdem
Eiectam nigri fluctibus Oceani;
Vel studeo meritos magis alto carmine honores
Interdum summo reddere Pontifici,
Auctum quem Petri solio et divina ferentem
Dogmata suspiciunt attoniti populi,

Quo duce felicem mortales degere vitam
  Nos licet, ac coeli morte obita ire domos:
Non aliter trepidas ignota per aequora ducunt
  Optatum ad litus sidera certa rates;
Vel demum, sacra praecinctus tempora lauro,
  Virgo, cano laudes, intemerata, tuas,
Quae nimirum ex ultima origine nescia labis
  Virgo coelestis mater ades pueri,
Et caput inferni dirum pede conteris anguis,
  In terris regnum ne amplius is teneat,
Pulcrior et sole, et luna formosior alba
  In mediis fulges inclyta coelicolis.)
Est ea causa quidem, quod tu me diligis, ut fert,
  Poggi, nos inter dulcis amicitia.
Verum sunt nugae, fateor, mea carmina inanes,
  Quae Notus in tractus dissipet aerios:
Contra digna cedro tua sunt conscriptave Etrusca
  Lingua vel Latia munera Pieridum;
Illa etenim mihi blanda aures dulcedine tangunt,
  Et recreant animum a sollicitudinibus:
Qualis, mane genas cum effert aurora rubentes,
  Prataque rore albent mollia frigidulo,
Solem dulcisona nascentem voce salutat,
  Atque nemus laetis cantibus implet avis.
Ergo, lucidulis gemmis quae praefero et auro,
  Saepius haec a te candida dona peto.
Tu face, lucidulis gemmis quae praefero et auro,
  Non raro mittas talia dona mihi;
Et face, ut haec, quoniam pulcherrima causa fuerunt,
  Vincula sint nostrae semper amicitiae.

Faventiae Pridie Kalendas Martias An. MDCCCLXV.

AD

IOSEPHVM EGNATIVM MONTANARIVM

EQVITEM

RHETOREM CELEBERRIMVM

ELEGIA

Egnati, docta qui strenuus excolis arte
  Sermonem, unde Italum nomen ubique sonat;
Si mea non ingrata tibi sunt carmina, si non
  Ingratum est nostrae pignus amicitiae,
Ne, tenues licet, hos, quaeso, ne despice versus,
  Iam nunc persolvit quos mea musa tibi;
Dum cupit egregias merito tibi dicere laudes,
  Sueta quidem claros tollere ad astra viros:
Namque, opus est iuncto pede scribere sive soluto,
  Dilectam nullus te magis Italiam
Nunc decorat, nullus cedro mage carmina digna
  Pangit, et Hyblaeo dulcia melle magis;
Nullus virtutes narrat mage divite lingua,
  Per quas morte obita attingitur aetherea
Sedes, vultus ubi Divinus lumine claro
  Splendet, cantus ubi et gaudia cuncta vigent:

Non secus ac siquis rara depingit ab arte,
  Quos mulcet flores aura levis Zephyri,
Vere novo, ridet quum mille coloribus hortus,
  Atque odor e viola spargitur eque rosa.
Quod si cura tibi est doctrina fingere ephebos,
  Ut spes subcrescant atque decus patriae,
Nemo illos Italae melius te ad munera linguae,
  Scit nemo ad fontes ducere te melius :
Tu facis ut, capti Petrarcae versibus aureis,
  Condiscant blandis ludere carminibus ;
Tu facis ut stupeant divini opus Alighieri,
  Mirum opus, et quo nil pulcrius esse potest.
Quare devinctos viridanti tempora lauro
  Discipulos gaudes saepe videre tuos :
Non aliter laetanti animo matura colonus
  Eductâ sibi iam ex arbore poma legit.
Iure autem, veterum ipse foves dum insignis amorem
  Scriptorum, antiqui temporis et studia,
Insanas methodos sophiae fastidis iniquas,
  Ingeniis quae pro luce ferunt tenebras :
Qualis diluvies fecundos obruit agros
  Amne ferens algam pro segete ac tribulos.
Nos fortunatos, tua si praecepta secuti
  Linguam more patrum pergimus excolere!
Haec nostrae est gentis pulcherrima gloria, et unum
  Hoc vinclum nectit forsitan Italiam.
O utinam ne fata sinant nos perdere laudem
  Hanc quoque, laudes ut tot periere aliae!
Tunc penitus nostrae rumpantur vincula gentis,
  Tunc non invideat barbarus Italiae.

Faventiae decimo Kalendas Maias An. MDCCCLXV.

LVCAE VIVARELLIO BONONIENSI

POETAE CLARISSIMO

ELEGIA

Quae, Vivarelli, tribuisti carmina [1] nuper
  Tu mihi sponte tua, dona dicata mihi,
Iucunda recreant nostrum dulcedine pectus,
  Haud secus atque acrem vitrea lympha sitim:
Namque, dat obscuras dum fraus pro luce tenebras,
  Caraque libertas nomen inane sonat,
Illis evolvis non ullo vera timore,
  Et nostram carpis versibus Italiam;
Quam satis ingratam sophia et virtute nitentes
  Non pudet indignis posthabuisse viros:
Ut si messe magis, laeta magis arbore gramen
  Vile colat, dumos et colat agricola.
Tum levis externas, falso pertaesa suarum,
  Doctrinae sequitur perniciem methodos.

Quare non animos mulcet lyra vatis Horati
Iam prope ; divini non tuba Virgilii.
Iam nunc Dantis, opus coeli terraeque, poema
In falsos sensus vertitur, inque malos.
Ipsa etiam Hyblaeo mage dulcia melle, Petrarca,
Carmina, quae Laurae tam placuere tuae,
Cessarunt puro perfundere pectora amore,
Et mentes pulcris fallere imaginibus :
Ipse etiam linguae sermo praeclarus Etruscae,
Forsitan una Italae vincula gentis adhuc,
Personat infectus peregrinis vocibus aures,
Sermo idem ut factus sit prope iam ambiguus.
Quid prodest, multis si sit nunc aucta magistris?
Nam excludit doctos, atque docere bonos.
Non implet certe sua frugibus horrea magnis
Dives, inexpertos qui tenet agricolas ;
Sed patrum gazas male cultis perdit in agris,
Angustam et patitur denique pauperiem.
Quid, si etiam illius longinquas ducat ad urbes,
Nimirum facili praecipitique via,
Quae ferri lamnam rota, presso impulsa vapore,
Usque terens velox ferrea currit iter?
Quid, mundi extremas si fila per aenea in oras
Mittat verba, Euros quae antevolant celeres?
Mirum opus, humanae mentisque insigne repertum,
Et quo nil maius longa dies docuit!
Quandoquidem optato caret almae munere pacis,
Inque diem mage crudelia fata timet.
Haec, Vivarelli, bene docto carmine nostrae
Obiicis Italiae, et multa alia atque alia ;

Ut misera esse suo vitio iam desinat, illam
Dum pudeat priscum deseruisse decus.

Faventiae XVI. Kalendas Martias An. MDCCCLXVI.

---

1 - Sermone - Bologna Tip. Mareggiani all'insegna di Dante 1866.

AD

RAPHAELEM NOTARIVM

SODALEM BARNABITEM

DE AVREO EIVS OPERE, CVI TITVLVS:

STORIA DELLA LETTERATVRA ITALIANA

ELEGIA

Notari, decus Italiae, quo nempe magistro
  Pieridas coepi diligere et colere,
Tempore quo, puerum desertum utroque parente,
  Me tenuit caro Felsina docta sinu,
Felsina amata mihi, quantum nec patria tellus,
  Et desiderium Felsina, spesque mea;
Nunc tibi pro dono, quo me optimus affecisti
  Nuper, quod possum, carmina persoluo:
Praeclarum donum! cultus doctusque libellus!
  Vestrum opus, o Musae! vestrum opus, o Charites!
In quo Italam describis ab ultima origine linguam;
  Ut nata e parvis candida principiis,
Doctrinamque novam, et mores sectata recentes,
  Provexit Christi quos bene Relligio,
Illa cito egregias potuit sibi sumere formas,
  Illa cito ad suaves flectere verba modos;

Ut mox perfecta e divino carmine Dantis,
Sive opus est dulci corda movere sono,
Vel terrere gravi, linguae non cedit Achivae,
Non Latiae cedit, laudem utriusque ferens:
Qualis ager, si forte simul viridantibus herbis
Ubertim niteat consitus ac segete,
Non ullis pratis, ullis non invidet agris,
Namque simul pratum floret et almus ager.
Praeterea memoras alios ex ordine, lingua
Quicumque illustres iam fuerunt Itala,
Quique, boni iuncto pede scribere sive soluto,
Iam fuerunt saecli gloria magna sui;
Inter quos fulges, Laurae dulcissime cantor,
Vinctus Apollinea fronde, Petrarca, caput;
Fulges, Boccacci, scriptor culte atque diserte,
Ast impura tuum sensa librum inficiunt:
Non secus ac, rident dum mollia gramine prata,
Si inficiant herbae pabula laeta malae:
Et tu, qui furiis agitatum et perditum amore
Angelicae Orlandum ac bellica facta canis,
O Ludoice, Itali vulgo cui nomen Homeri est,
Quippe aequas vatem carmine Maeonium;
Et tu divino propior, Torquate, Maroni,
Qui ausus Goffredum es dicere magnanimum;
Quare promerito tibi maxima Roma parabat
Laurum, quam mors, heu! invida praeripuit.
Nimirum hos memorat tuus aureus ille libellus,
Notari, multos commemoratque alios,
Nomina et illorum et patriam pulcrosque labores,
Illorum et laudes, Italiaeque refert,
Quae, precor, externae fugiat contagia linguae,
Aurum alieno ne misceat aere suum,

Atque ita sermonis proprium ne perdat honorem,
Et fiat studiis barbara et ingeniis.

Faventiae octavo Kalendas Februarii An. MDCCCLXVII.

DIDACO VITRIOLIO EQVITI

MITTIT DONO SVAM IPSIVS IMAGINEM LVCE GRAPHICE IMPRESSAM

EPIGRAMMA

Hanc, quae luce meos vultus bene reddit imago
  Impressos, tibi dono, et simul ipsum animum;
Tu pro longinquo, Vitrioli, suscipe amico
  Dona haec, et donis affice me paribus.

AD

IACOBVM SACCHIVM EQVITEM

EPIGRAMMA

Usque tuam, Sacchi, servabo, ut pignus amoris,
  Effigiem ; serva sic, precor, ipse meam.

Faventiae VII Id. Feb. An. MDCCCLXIV.

AMADEO RONCHINIO PARMENSI
EQVITI

EPIGRAMMA

Ut tua, Ronchini doctissime, venit imago
Grata mihi, veniat sic tibi grata mea.

Faventiae III. Nonas Maias An. MDCCCLXVII.

ANGELO SANGVINETIO
CANONICO GENVATI VIRO ERVDITISSIMO

IOSEPHVS ROSSIVS
AMICVS AMICO

Optatum nostri tibi mitto pignus amoris,
Angele, mitto meam scilicet effigiem;
Si mihi par mittas pignus pro pignore, donum
Illud erit, quo nil carius accipiam.

Faventiae XV. Kal. Iunias An. MDCCCLXVII.

CARMINA LVDICRA

AD TIBIAM

EPIGRAMMA

O mea primaevae decus et solamina vitae,
Tibia, iucundos reddere docta sonos,
Cui quondam celebri bene plausit Felsina in aula,
Enutrit dites Felsina quâ pueros ;
Ponere te cogor, ne rumpat anhelitus artus
Aeger, dum resonum suscito flatu ebenum.

DE LAVDIBVS RVRIS

EPIGRAMMA

Aurea dum ruris capto solatia, pacem
Quaerens naturae simplicis inter opes,
Urbem posthabeo ruri ; nam fluctibus illam
Oceani, hoc tutis comparo littoribus.

POETA RVRE DECEDENS

EPIGRAMMA

Formosae o sylvae, o felicia rura valete,
Dum vestro invitus cogor abire sinu ;
Horrida quae properat boreis, et foeta pruinis
Bruma decus vobis auferet ac dominum,
Auferet ; ast, inimica obstent ni fata, recenti
Vere decus vobis, et dominus redeant.

AD AMICVM
MAGNIS DISTRICTVM CVRIS

EPIGRAMMA

Quos tibi ficulnâ decerptos arbore fructus
Mitto, sunt campi dona pusilla mei ;
Si, quoniam gratâ manant dulcedine, possint
Hi quidquam curas forte levare tuas ;
Tunc mea sat magni faciam munuscula, truncos
Nec dites hortis invideam Hesperidum.

AEDIVM RVSTICARVM AD SINISTRAM SINNI RIPAM
FRONTI POSITVM
A SEBASTIANO ET IOSEPHO FRATRIBVS ROSSIIS
ANNO MDCCCXLII.

EPIGRAMMA

Iam prope abhinc annos biscentum, rura colentes
  Dum laetam cultu paupere vitam agerent,
Hic atavis fuerat sedes gratissima nostris ;
  Hic illi exiguam constituere domum :
Postea sed seri arva haec deseruere nepotes,
  Vicinum et sedes praebuit Oppidulum ;
Non tamen omnino arva haec deseruere ; quotannis
  Haec aestate domus deinde recepit heros ;
Quae modo, noster amor, potiora in commoda multo
  Est aucta, et nobis facta decora magis.

POEMATA

CASVS PONTIS INTRA VRBEM FAVENTIAM SVPER ANEMONEM IMPOSITI AQVARVM IMPETV XVIII. KAL. SEP. AN. MDCCCXLII.

Tempore quo, pomis frontem circumdatus aureis,
Autumnus fessos mortales verbere solis
Delenit, revocans effoeta in pectora vires,
Et Bromius, cultorum, ac lentae vitis amicus,
Et colles et aprica perambulat aequora campi;
Impulit horrendas ferrata cuspide cautes,
Frenaque laxavit ventis Rex acria, nostro
Et decori Aemiliae rapidos incumbere iussit.
Iam Notus, et Boreas liquidum per inane ruentes
Bacchari; iam coelum atris velare tenebris
Nubila, et effusum se se dissolvere in imbrem:
Iam celsis nimbosi e montibus Apennini
Flumina praecipitare, ingenti sternere sylvas
Impete, laeta gregi disperdere pabula et agros;
Ripas nam indignata, pedes quodcumque moratur,
Deturbant secumque trahunt, et cornibus altis

Incedunt, late vastam properantque ruinam.
Ut cum forte suam sentit mugire iuvencam,
Longius in plano quae gramina pascitur arvo,
Taurus; nimirum subito gratae immemor herbae
Excutitur, caput et furialibus excitus ausis
Decurrit, praecepsque alta se ab rupe remittit
Pastorum trepida complens formidine corda.
Sed queis iam numeris, apto quo carmine dicam
Ingentes casus, simul et miracula rerum?
Quâ Thusci labens Anemo de vertice montis
Candidus Aemiliae formosam interluit urbem,
Pons erat, antiquum robur, qui turribus auctus
Non metuit longae iamdudum damna senectae.
Hunc super adstabant, magno turbante tumultu,
Cives visuri late spectacula aquarum.
At bene factum! quod, nostros miserata labores,
Spes hominum et Mater, pontis quae fictilis arci
Haerebat mediae, facili tunc numine Virgo
Annuit: o gnati vestram properate salutem;
Hinc fugite, aut caecis vitam linquetis in undis.
His turba admonitis, casus divina futuri,
Horruit, et gressus ad littora tuta recepit.
Ecce autem subito, visu miserabile! pontem
Nutare, et fundo impulsum divellier imo;
Stare tamen, victum indomita sed fluminis ira
Concidere, et vasto tandem se condere in amne.
Tunc oculis dare nolle fidem; tunc pene stupere
Omnes horribili externatos corda ruina.
Deinde illuc aditum cives persaepe tulisse,
Nec sine lacrimulis, luctuque abiisse feruntur;
Quapropter, miseri ut famam casus abolerent,
Neu seris mansura nepotibus aspera fletus

Causa foret, penitus reliquam unanimes iusserunt
Everti turrem, monimentum et pignus avorum.

—

APOLLO [1]

Stabam fila lyrae tangens Latonia proles
Litore in Actiaco, ingenti quum classe latinum
Nequiquam Aegyptus conata lacessere robur.
Ecce, ubi de puppi, ambiguo certamine, Caesar
Me videt, oranti adsimilis sic voce precatur. =
O spes, et generis tutela o maxima nostri,
Mitte lyrae sonitum; iaculis metuendus et arcu,
Phoebe, age, barbaricas, quaeso, iaculare carinas;
Si facias, bello insignem te marmore ponam. =
Tunc ego, (promisso non captus munere, sed quod
Diligit ille meos multum, curatque poetas)
Haud mora, depono citharam, vultuque minaci
Tela, quibus pravo aggressi molimine coelum
Titanes iacuere, manu fatalia sumo.
Iamque Canopias feriunt mea spicula naves;
Iam liquidum relegens cum semiviro comitatu

Moesta iter amentes minuit Regina furores.
Interea latias victoria candida puppes
Exhilarat, properatque duci decora ampla triumphi.
Hic memor officii, qualem conspexit in armis,
Me iubet excudi spiranti marmore Caesar:
Quare opus aethereo dignum meditatus Olympo
Hoc opifex rara simulacrum perpolit arte.
Adspice: adhuc tremulum retinet mea laeva, sagittis
Coniectis, arcum; facili prope corpora motu
Pulsa tremunt; humeris prope quassa pharetra resultat;
Vultus magnanimi praeportat pectoris iras,
Et mea prospiciunt disiectas lumina naves.
Me Phoebum strophio religata intonsa fatetur
Caesaries, vernanti et membra decora iuventa;
Me Phoebum, trunco qui se implicat anguis olivae,
Declarat iaculis Cephisum stratus ad amnem.

---

1 - L' Apollo di Belvedere.

ANTONIVS SANTIVS

SODALIS FRANCISCALIS ATRATVS
RECONDITIS OSSIBVS DANTIS ALIGHIERI
XI KALENDAS NOVEMBRES MDCLXXVII
REM ENARRAT

Nox erat, et mundum obscuris involverat umbris,
Cum solus, tacitus vicinum accedo sepulcrum
Dantis, Bernardus posuit quod marmore Bembus;
Nam veritus, patriae reddantur ne ossa poetae
Divini, aut rapidis ne urantur dedita flammis,
Illa egomet furtim properabam providus urna
Extrahere, et parva collecta includere capsa
Abiegna, propere fabricata, rustica et arte;
Tum sic asportare, propinquo et condere muro.
Iamque operi accingo; spirat fortuna secunda;
Quandoquidem nulli auditus, non visus et ulli
Inceptum perago, et nomen super ossa poetae
Divini inscribo, pereat ne gratia facti.
Credo equidem fore iam tempus, cum patria honores
Indicat meritos Danti, saeclisque peractis
Natalem illius celebret, cum tu quoque Danti

Ipsa dies statuas festos, dilecta Ravenna.
Tunc, alacris priscum reficis dum forte sepulcrum,
Vicino, reor, invenies mihi condita muro
Ossa, pia quae mox frustra quaerentur in urna.
Tunc subito Italiam vulgetur fama per omnem,
Tangat et astra meum nomen cum nomine Dantis;
Tunc Itali certa invisentes undique pompa
Ossa reperta simul tumulo dent oscula sacro,
Dum interea resonat laetis concentibus aether.
Tunc ver hos recreet solito formosius agros,
Gratior et spiret Zephirus genitalibus auris,
Tunc halent melius iucundi floribus horti;
In pratis surgat melius viridantibus herba;
Omnia tunc plausu resonent; sint omnia laeta.
Ipse etiam Dantis celso gaudebit Olympo
Spiritus, ipse etiam clara mage luce nitebit;
Et sua tunc repetet, sane dignissima olympo,
Carmina, queis superum describit gaudia, et unum
Ille canit Trinumque Deum, sanctamque Mariam.
Quem circum Aligeri, regni coelestis alumni,
Formosi vultum, stellata veste decori,
Certatim et canere, et laetas agitare choreas;
Tum demum illius praecingent tempora lauro,
Atque salutabunt concordes voce poetam.
Me quoque iam superis insertum coetibus illa
Carmina delectent, illae oblectentque choreae;
Me quoque divini comitem iuvet esse poetae,
Et coram illius sinceras dicere laudes,
Hic, ubi sollicitae non torquent pectora curae,
Non fortuna valet crudelem ludere ludum;
Hic, ubi adest sine nocte dies, nitidissimus et sol
Splendet, et ipse Deus manifesta in luce videtur.

Haec ego fingo mihi; et fingendo talia laetor,
Haec mea, Coelicolae, non irrita reddite vota.

Faventiae VIII Kalendas Maias An. MDCCCLXVI.

DE TELEGRAPHO, ET VI VAPORIS, ET PHOTOGRAPHIA

Me sine, Musa, brevi tria dicere commoda, quae iam
Invenit saeclis tot denique vita peractis;
Nimirum, ut longe per ahenea fila volare
Verba queant, rapidumque impulsa vapore coacto
Iam rota currat iter, vera et cernatur imago,
Quam lux impressit medicato candida vitro.
Et primum, si nunc per ahenea fila volare
Possunt verba procul, Galvani, gratia habenda est
Ranis magna tuis, quae tactae cuspide ferri,
Non nota vi aucti, sine vita signa dedere
Vitae; ut quae mollis, sensu quasi polleat, horto
In laeto folia adducit, dum tangitur, herba.
Hinc tua, Volta, pila e lana duplicique metallo,
Quae explicuit motus ranarum luce carentum;
Hinc aliae venere artes, miracula et artis,
Verbaque coeperunt mitti per ahenea fila:

Et nunc verborum quod nos mandavimus illis
Ipsa etiam, longinqua licet divisaque ponto,
Haud mora, scit tellus: non pervolat aethera fulmen
Tam cito; non citior sol vestit lumine terras.
Scilicet hac, mittens gnato mandata secuto
Signa tubasque procul, mira pater utitur arte;
Utitur et coniux mittens mandata marito,
Solers longinquis merces qui mutat in oris.
Ars bona, qua potior nunquam fuit ulla reperta,
Dignaque sublimi celebrent quam carmine vates.
Post dicenda rota est, quae, impulsa vapore coacto,
Usque terit ferri lamnam, male devia cursu
Ne ruat, aut nimium fallacis in aequore campi
Offensa, aut in aquis praeterlabentibus amnis.
Illa non citior volucris, dum nubila tranat;
Non citior ventus, dum tendit vela carinae.
Nos illa vectos propere contingere metam
Nunc licet, ac vitare viae fastidia longae.
Non iam opus est vobis, ite, et viridantia prata
Pascite equi; non iam spumantia mandite frena;
Quippe sibi vestros sumpsit vapor ipse labores.
Ipse etiam ad litus potis est impellere cymbam
Pro vento; ipse rotas pro flumine volvere in orbem;
Ipse vapor valet haec, alia et permulta coactus.
Sed mihi postremo dicatur carmine imago,
Quae vitro imprimitur medicato, candida cum lux
Rite superfusos prope ludens tangit acores.
Illa oculos nostris similes bene reddit, et ora,
Illa comam; quamvis, non hactenus aucta colore,
Sive auferre aliquid soleat, sive addere formae.
Non alio melius donantur pignore amici;
Non aliud servat, iuveni dilecta, puella

Carius, et praefert affixum in pectore donum.
O utinam humanae possit solertia mentis
Hanc quoque perficere, atque augere coloribus artem!
Tunc tua non ludat, Zeusis, sola uva volucres;
Ludat equum non solus equus tibi pictus, Apelles.

DE NECE

GALEOTTI MANFREDII

CARMEN

Hic ubi decurrens Anemo per devia planis
Porrigitur spatiis, et priscam interluit urbem,
Bellator, virtute potens calidusque iuventa,
Subiectis populis Galeottus frena regebat;
Qui tandem captus iucundae munere pacis
Censuit e trepido Martis decedere ludo,
Inque vicem Veneris sectari castra marinae:
Tunc et adire Deam, et supplex ita voce precari:
— Alma Venus, blando quae corda incendis amore,
Diva ministra ioci, solamen dulce laborum,
Militiae pertaesus ego foedata cruore
Saepius humano pono tibi deditus arma;
Me precor, o, facili vultu, precor, aspice inermem,
Meque tuum reliquam thalamo fac degere vitam —
Hic Cytherea novo bona mater gaudet alumno,
Protinus et volucrem dictis compellat Amorem:

— Arcitenens o qui, iaculis metuendus et arcu,
Gestis perdomuisse viros, fixisse puellas,
I pete, gnate, arcu puerum, qui, Marte relicto,
Felici exposcit coetu se se addere amantûm —
Haud mora, inexperto molitus vulnera cordi
Torquet Amor iaculum, iamque imos flamma per artus
Se raptim insinuat penitis haesura medullis.
Ardet amans iuvenis, qui pectore saucius horas
Irrequietus agit; qualis per gramina taurus,
Vere novo, quem forte sua abstinuere iuvenca
Semotum longe medii latera ardua montis,
Infremit, et late mugitibus aethera complens
Nescit conceptos deponere corde furores.
Tunc Venus Uraniae sic prolem affata Hymenaeum est:
— O, face perpetuae qui sancis foedera vitae,
Dive potens acres lenire Cupidinis ignes,
Si vere miseris solamen amantibus esse
Diceris, o iuveni fac te succurrere nostro —
Ille refert: — nec ego quod ais me posse Hymenaeum
Iam nego, neve tibi certe parere recuso;
Quapropter, saevo Arcitenens quem exercet amore,
In mea regna vocem relevemque calentia corda —
Ecce autem, insigni forte opportuna marito,
Aemiliae claras Virgo petit advena terras;
Quam, genere egregiam, fovit bene docta puellam
Felsina, ad egregias informans Palladis artes.
Qualis, ubi extremo roseos Aurora capillos
Extulit Oceano, pura nitet aureus aethra
Lucifer, atque animis iucundos afflat amores:
Talis et illa nitet vernanti in flore iuventae.
Et cupidos grata dulcedine pascit ephebos.
Quare illam subito Galeottus captus amore

Ardere, atque omnis sociam sibi poscere vitae.
Infelix! qui femineae non conscius artis
Exitium petis ipse tuum, non impar Achivis,
Qui (turpe!) illecti Sirenum voce canora
Dicuntur vitam pelago liquisse Sicano.
Iamque suum laetis dominum per compita cives
Sectantur votis, propere taedaeque parantur.
Armipotens vero se se male passus inermi
Posthabitum, Cytherea, tibi disperdit in auras
Vota, et coniugio sortem portendit iniquam.
Quandoquidem, ut primum thalamo successit uterque
Coniux, Mavortis, nulli spectata, satelles,
Coniugiis fatale, iacit discordia pomum.
Ergo paullatim dira velut excita cura
Uxor iucundi pervortit gaudia amoris;
Quin odio mutatur amor; proh! quidlibet audet
Femina nullius facie deterrita culpae.
Interea scelerum quosdam vocat illa ministros
Sanguine gaudentes et pessima ad omnia natos,
Quos ita suppliciter vultum turbata locuta est.
— Eia agite o magnum facinus properate, sodales,
Si qua mei cura est, sive auri corda cupido
Vestra movet, quando vos grandia dona manebunt;
Heus! properate viro inviso per vulnera mortem;
Sola ego (namque adeo sum dedignata maritum)
Credite, sola egomet facerem, ni femina — Dixit
Ipsa morae impatiens, furiis deperdita et ira,
Qualis, ubi catulos praedam venator abegit,
Ore leaena fremit, vindictamque effera poscit.
Ergo, composita iam furtim fraude, maritum
Acciri exoptat, recubans velut aegra cubili;
Qui simul ingressus thalamum de more vocabat

Voce suam, hinc atque hinc prensus ferroque petitus
Ad mortem, stricto se strenuus ense tuetur;
Frustra: nam lecto exiliens ruit effera Erinnis,
Coniugis et saevo ferit ictu pectora coniux.
Ille iacet, moriensque haec ore novissima profert:
— Siccine tu iurata fidem servas mihi coniux?
Tune manus nostro potis es scelerare cruore?
Auguror: aeternum te nostri opprobria saecli
Dira Clytemnestrae ferat undique fama per orbem —
Dixit, et in liquidas diffugit spiritus auras.

CARMINA NUPTIALIA

IN NVPTIIS FRATRIS

ELEGIA

Quum simul a puero desertus utroque parente
  Vidisti, Frater, paene iacere domum:
(Nam tantis perculsa malis, ceu ludus iniquae
  Sortis, quam propter saepe dolent homines,
Pendebat nostrae tantum de stamine vitae,
  Quo caeso, penitus tota sepulta foret.)
Nimirum ut quidquam soleris, prole paratâ,
  Res miseras, Orci damnaque restituas,
Uraniae sobolem Divum persaepe vocasti,
  Suspendens tacitis fervida vota labris,
Qui tibi perpetuos castae donaret amores
  Virginis, optati et gaudia coniugii.
Vota cadunt; sacras Virgo festinat ad aras,
  Depacta ut firmet vincula Relligio.
Huc, Hymenaee, precor, decus et solatia amantum,
  Huc, precor, o facilis ad tua sacra veni;

Expectate veni, ferimus dum pectine nervos,
  Dum canimus liquidâ carmina mista lyrâ,
Insignesque tuos cupidi meditamur honores,
  Nam vere quis te dignus honore magis?
O coelo delapse, perenne ut saecla propagent,
  Ac bona fama probet Cypridis illecebras,
Tu stabili mentes devincis foedere amoris,
  Et relevas animos sollicitudinibus;
Quippe, edera ut quercum ventis aevoque labantem,
  Sic levat afflictum foemina iuncta virum.
Ergo, hominum columen, nostros tutere penates
  Atque tuo laeti munere fac vigeant,
Filioli et surgant; qualis bene prona sagacis
  Arbor ad agricolae fingitur arbitrium,
Paullatim crescit quae formosissima campi,
  Delicium veris, delicium agricolae;
Fac, precor, et nostrâ semper dicere Camenâ,
  Semper tollomus nomen ad astra tuum;
Fac, nobis praesens et numen habeberis, atro
  Aequore iactatis Tyndaridae ut gemini.
Sed queis te dicam numeris, intacta puella,
  Scilicet o nostrae spes columenque domus?
Tu, velut omnigeno assurgens rosa candida in horto
  Pandit odoratos vere novo calathos,
Quam iuvenes cupiuntque sibi, cupiuntque revinctum
  Puniceis foliis condecorare caput,
Non aliter vernas, patrio decus addita coelo,
  Longinqua et circum fama volat spatia;
Nam, seu, Cecropiae tu docta operosa Minervae
  Munera, foemineum sedula ducis opus;
Seu, mentem gravibus studiis imbuta, virili
  Exsuperas animo et moribus ingenuis,

Nulla tibi ex cultis praestat, mihi crede, puellis,
  Nutrit munifico quas patria in gremio.
Quare, age, prae cunctis fortunatissime, vincla haec
  Nuper Acidalius cui properavit Amor:
Auguror; o Frater, tali auctus compare, quantis
  Mentem animi puris deliciis foveas!
Non, si Maeonii pervolvas carmina Vatis,
  Ad fidum stupeas Penelopes animum,
Vel, reor, illius quae, aevo memoranda perenni,
  Noluit abrepto vivere sola viro;
Penelopi haec erit adsimilis, Capaneique puellae,
  Aeternae servet foedera amicitiae;
Namque agitans thalamos discordia, munera Averni,
  Vos nunquam in scissâ lurida veste adeat;
Semper Amor vestras, laetatus vulnere, sedes
  Incolat, aureolâ candidus in tunicâ:
Atque ibi perpetuo fulgens, pulcherrima rerum,
  Ubertim fructus pax ferat alma suos.

IOSEPHO GESSIO
MARIAM TRONIAM
VXOREM DVCENTI

ELEGIA

Qualis hiat laeto flos iucundissimus horto,
  Veris amor, dominus quem vigili studio
Educat, ut longe formosior, ac mage surgat
  Vividus, et calathos pandat odoriferos;
Talis ephebus adhuc, iuvenis virtute refulgens,
  In spem crescebas, inque decus patriae:
Vera cano; mihi nam tecum sociare iuventam
  Contigit, ac sanctae foedera amicitiae;
Quum rude sub doctis dilectâ in sede magistris
  Ad sophiam pariter finximus ingenium.
Tu simul imbutus generoso pectus honesto
  Linquebas sacrum Palladis hospitium,
Et, patrios repetens, monumenta vetusta, penates,
  Reddebas domui gaudia laeta tuae,
Quos tulit egregias mens informata per artes
  Fructus, quos pietas atque animi probitas!

Nam velut in celso tua, Iuppiter, Apennino
  Arbos annosum tollit ad astra caput,
Acris quae Boreae luctatur nescia sterni,
  Sive peresa aevi dente iacere solo;
Non secus illecebris perversae fraudis iniquus,
  Quae gestit iuvenes illaqueare animos,
Semper doctus eras niveo te involvere panno
  Virtutis, firmus propositique tenax.
Idcirco Uraniae stellis delapsa propago,
  (Ut nos praesenti dextra iuvaret ope,
Scilicet ut, nullo peritura haerede, novellâ
  Prole renideret quaeque refecta domus)
Di bene! te placidis nuper spectavit ocellis,
  Di bene! teque suis addidit ordinibus.
Iam propere croceo faciem velatus amictu,
  Iam quatiens taedas fert Hymen huc aditum:
Pone subit iaculis Divus metuendus et arcu,
  Vincla gerens, Cypria natus Amor Venere;
It prope conspicui nova gloria Virgo paterni
  Vatreni, et gratum pectore vulnus alit:
Quae vix, succedens templo, deiecta modestum
  Vultum, solemnes fudit ab ore preces,
Extemplo, vitae decus, et solamen amantum,
  Dat cupido thalami vincula ferre tibi.
Quare, age sis, precor, o felix; nam coniugem adeptus,
  Unde magis Regum sorte beatus eris:
Quippe, velut medio pratis dulce humor in aestu,
  Dulce velut laetis ver genitale satis,
Sic erit illa tibi semper dulce, auspice amore,
  Nescia laetitiam spargere amaritie.
Macte animo, iuvenis, et macte ingentibus ausis,
  Grandia net domui stamina Parca tuae:

Iam genitor patriae facilis compescit habenas,
  Inque usum patriae sollicitus trepidat;
Hic simul amplifice commisso munere functus,
  Iam rude donatus, denique cesset; opus
Continues tu forte, incumbens muneri eidem,
  Et niteas nostra clarus in Aemilia.
Interea soboles vestro prognata Hymenaeo
  Paullatim adsurgat pulcrior ac melior,
Ac repetens animo patrum benefacta suorum
  Condiscat claras laudis inire vias:
Sic domus egregiis vigeat tua splendida factis
  Laude recens saeclis innumerabilibus.

IN NVPTIIS

IOS. CATTANII ET ALOISIAE TRONIAE

ODE

Concinam versus tibi nuptiales,
 Lesbiae tangens citharae ipse fila,
 O puellarum decus, o venusti
 Curaque Amoris,
Virgo, quae caro gremio parentum
 Dempta sectaris nova castra Hymenis,
 Te viro et iungis cupido, maritae
 Vitis ut ulmo;
Concinam vere properata Parcis
 Fata, iucundosque dies, fidemque
 Mutuam Gnidique potentis almae
 Praemia Divae,
Hactenus tecto sonuit paterno
 Filiae nomen tibi dulce; posthac
 Gaudeas dici bene nupta suavi
 Nomine coniux,

Namque tu dignum face nuptiali,
Virgo, sortita es iuvenem, medullis
Usque qui totis amet, usque qui te
Cogitet unam.
Aureos fructus creat arbor aurea,
Mitis et mitem sobolem columba:
Convenit natura sibi, nec unquam
Integra peccat;
Ergo tu prolem paries, maligno
Quae procul vulgo studiis amica
Ingeni clarum caput inter alta
Nubila condet.
Splendide mores imitans sororum
Tu feras sortem pariter beatam,
Addita o nostrae, velut astra coelo,
Lux bona terrae,
Semper et felix trepidae labores
Nescias vitae; maris ut pericla
Non timet semper Zephyro carina
Acta benigno.

IN NVPTIIS AMICI

ODE

Musa Lesboo celebrare plectro
Me iubet laudes Veneris Marinae,
Cui quidem formae decus arrogavit
Pastor in Idâ;
Saeva quum pomum, memor et repulsae
Iecit in mensâ Dea nuptiali,
Docta concordes animos quietas
Scindere et urbes.
Iam Venus formosa, venustiorum
Scilicet rerum genitrix, canenda;
Namque sectatur Veneris decora
Castra Puella
Nubilis, frontem religata mirto,
Vesperi puro similis, remoto
Sole, quae nostrum recreare coelum
Apta renidet.

Thure iam Cypri calet ara Divae ;
Audio sacras crepitare taedas ;
Ridet intortis iaculis Cupido,
Vinclaque nectit.
Fallor? an prodit referens colores
Nupta mutatos ; ut, amica nocti,
Siderum laetas choreas regendo
Cynthia pallet :
Fallor? an, lenis velut aura frondes
Commovet, blando redeunte Aprili,
Illius formido agitans trementes
Occupat artus.
Iure nam casti trepidant amantes :
Terret infamis peregrinae adulter,
Terret immitis Danai propago, et
Gnossia Virgo.
Plurimis urgetur amor periclis ;
Noster hic verum iuvenis maritus
Theseo distat, solida ut probroso
Crimine virtus :
Ille, quum ventis maris unda staret,
Nocte sublustri, taciturna, sponsae
Immemor, solâ potuit rudentes
Solvere ab actâ ;
Ille desertae lacrymis moveri
Abnuit, falsum procul increpantis
Hospitem, et fraudi Superos vocantis
Impiae iniquos ;
Moesta quae, fletus reputans inanes,
Saxeae poenam Niobes cupivit ;
Vel mori caecis miseranda in undis
Piscibus esca :

At pius circum volitare Iacchus
Insulam, incendique puellae amore
Attico posthac melior futurus
Nempe marito.

IN NVPTIIS

HENRICI CIARANFII

ADVOCATI

ET MARIANNAE GIVLIANIAE

EPIGRAMMA

Dum tibi florentem virtute, Henrice, puellam
  Perpetuo vitae foedere iungit amor ;
Haud mora, concordes passim laetamur amici,
  Promimus et festis gaudia carminibus ;
Nam bene conveniunt iucundo carmina amori,
  Nam bene iucundus convenit ipse animus ;
Sint haec grata tibi, quantum nec cantus in agris
  Gratus, vel rivus garrulus in nemore.

IN HONOREM CVPIDINIS

EPIGRAMMA

Natus Acidalio Cythereā in vertice matre
  Cum puer acciperet spicula Divus Amor,
Sic Mater : posthac metuende o, namque negabis
  Tu solus miseris parcere supplicibus ;
Verum prae cunctis simul exoptande, licebit
  Quippe movere tibi, et mollia corda dare.
Sisque dator pacis, rapido ceu nubila vento,
  Te duce, diffugiant cura, dolor, lacrimae ;
Te duce iam terras risus, et laeta frequentent
  Gaudia, quidque boni est, denique connubia.

Monita ad Lectorem

In pagina 17 - *ita melius mutabis primum pentametrum.*
- Informem Zephyrus vere novo, et reparat -
In pagina 25 - pro - *Apostolicam benedictionem impertire velis* -
elegantius leges - a Deo fausta rite precari velis. -

INDEX CARMINVM

CARMINA SACRA

CARMINA MORALIA

CARMINA LAVDATIVA

CARMINA FVNEBRIA

CARMINA AD AMICOS

CARMINA LVDICRA

POEMATA

CARMINA NVPTIALIA

SELECTA ILLVSTRIVM POETARVM

DE IOSEPHO ROSSIO

TESTIMONIA

Στεφανου Γροσσου
Εις Ιωσηφον Ροσσιον.
Ροσσιε, συ γλυκιον φωνεις η Μουσα Κατουλλου·
Σοι στομα Μοψοπιῳ ῥαινομενον μελιτι.

LAVRENTII COSTAE
EX GRAECO STEPHANI GROSSI
IN IOSEPHVM ROSSIVM

Rossi, dulce magis resonas quam Musa Catulli:
Os tibi conspersum nectare Mopsopio.

IOSEPHO ROSSIO EQ.

DE AVREO CARMINVM LIBELLO
QVEM MIHI DONVM MISIT IVLIO MENSE MDCCCLVIIII.
AMADEVS RONCHINIVS

Itala dum saevis tellus circumsonat armis,
Quae misti, pavidum carmina me recreant,
Pulcra adeo ut calamo quis dicat scripta Catulli;
Atqui sunt, Rossi, sunt opus illa tuum.

STEPHANI GROSSI

Μεταφρασις.

Δεινοις ὁπλοισιν γαιης Ιταλων σμαραγουσης,
Ναι τερπεις, πεμπων ῥηματα, δειλον εμε,
Καλλιμα, ὡστε τις ειπεν· ταυτ' εχαραστε Κατουλλος·
Αλλ' εργον πελεται, Ροσσιε, ταυτα σεθεν.

AD

IOSEPHVM ROSSIVM EQ. HIEROSOLYMARIVM

ALOIS. CHRYSOSTOMVS FERRVCCIVS

Quod facis accumulans, Rossi, tua carmina in unum,
  Rectum est, atque bonum tempore tam misero.
Qui legat, opto dari ! fortasse sed abfore libro
  Hunc erit in praesens; altera progenies
Donec agat legere, et iusta donare corona
  Ipsa velit versus, artificemque pium.

v. Kal. Februarias An. MDCCCLX.

IOSEPHO ROSSIO EQ. V. CL.

NICOLAVS NERVINIVS
FLORENTIAE IN AVLA REGIA IVRI DICVNDO
PRAESES HONORARIVS

Quas possim tibi gratias referre,
Qui dudum cupido aureum tuorum
Sponte das mihi carminum Libellum?
Gratulor Latiis decus Camoenis
Quod servas, veterumque dignitatem,
Reducens Decimi Leonis aevum.
Tu nempe Aemiliae suum Tibullum,
Flaccum, Virgiliumque das habere,
Seu sones graviore magna plectro,
Seu dulces Elegos lyrae marites,
Seu ludas Epigrammatum lepore.
Et mihi Ausoniis litare Musis
Interdum licuit; sed inter acres
Iurgantium strepitus Forique curas
Doctarum siluit melos Sororum.
Nunc longo mihi iam labore partum
Indulgent superi otium benigni:
Aetas sed gravior subest, et instat,
Degere oh! valido, integrâque mente
Non turpem liceat mihi senectam,
Nec prorsus veteri lyra carentem.
Nunc mitto hos Tibi gratulationis
Testes versiculos, diserte Rossi,
Daturus meliora, si liceret.

Idibus Decembr. An. MDCCCLX.

DE IMAGINIBVS

IOSEPHI ROSSII FAVENTINI VIRI CLARISS. ET ANTONII FILII EIVS

DIDACVS VITRIOLIVS

Te pictum agnosco coelesti Palladis arte:
  Effigies formae convenit ista tuae.
Quam bene perspicitur pietas, moresque severi;
  Ingenium magna quam bene fronte micat!
Ast puerum pinxit Cypris pulcherrima divum,
  Quum forte in lucis luderet Idaliis.
Ipsa etiam puero crines ornavit, et ipsa
  Os, oculos, aures, labra tenella, manus.
Fortunati ambo! superum qui dona tulistis,
  Munera tu Sophiae; munera tu Veneris!

Pridie idus Novembres An. MDCCCLXI.

IOSEPHO ROSSIO EQVITI HIEROSOL.

RAPHAEL NOTARIVS

SODALIS BARNABITES VETERI ALVMNO SVO

Carmina saepe mihi mittis, dulcissime Rossi,
  Iucundum antiquae pignus amicitiae.
Ast ego, curarum confectus pondere, grates
  Vel tenui nequeo reddere epistolio.
Tu bonus indulge, et Latias adamare Camoenas
  Perge ac muneribus me recreare novis.
Si mihi proh! vetitum Pindi conscendere clivos,
  Dulce videre meos scandere discipulos.

Parmae ex Collegio Ludoviciano
Post. Id. Martii An. MDCCCLXIII.

PHILIPPVS POGGIVS CANONICVS

IOSEPHO ROSSIO EQVITI

OB ACCEPTAM EIVS EFFIGIEM GRATES PERSOLVIT

Mira cano. Ad pluteum hesterna se nocte sedenti,
  Visa mihi coram sistere amicitia,
Adfarique prior: perago mandata, Philippe;
  Rossius id mittit muneris ille tibi,
Diligis ex animo quem dudum. Discito vultus,
  Eximium quando suspicis ingenium.
Effigiem in verbo solari e lumine pictam
  Exhibet, admiror contineoque sinu.
Huius ab adspectu venient in carmine vires,
  Atque ibo in laudes, docte Iosephe, tuas.

IOSEPHO ROSSIO EQ.

ALPHONSVS MARIA PAGNONE SOD. BARNABITES

O te felicem, Rossi, qui captus amore
  Musarum, Latii quas coluere viri,
Asseris antiquam numeroso carmine famam,
  Italiae et patriae gloria rara nites!
Si mihi propitium Cirrhae mage numen adesset,
  Numine quo plenus concinis ipse melos,
Me quoque sectantem tua iam vestigia dudum
  Ardua Parnassi per iuga prospiceres.
Ast ego si nequeo praeruptum scandere montem,
  Ausumque extemplo robora deficiunt,
Nil vetat, obscura lateo etsi vallis in umbra,
  Quin tibi sincero gratuler ex animo.

Parmae vi. Kal. Ian. An. MDCCCLXV.

Εἰς ἸΩΣΗΦΟΝ ῬΟΣΣΙΟΝ Ἵππεα

ἐνδοξότατον ποιητὴν

Ἄγγελος Σαγγουίνητος

Ἐπίγραμμα.

Ῥόσσιε, τῶν Μουσῶν κλέος καὶ δόξα λατίνων,
Σοὶ πλείστην τῆς σῆς εἰκόνος οἶδα χάριν.
Εἰκόνα μου ποθέεις καὶ σύ! στέλλω, μόνον ἀλγῶν
Ὡς δεῖξαι μορφὴν οὐ κραδίαν δύναμαι.

AMADEI RONCHINII EQVITIS

INTERPRETATIO LATINA

Mille tibi grates, Latiis o gloria Musis,
Rossi, quippe tuam qui effigiem dederis.
Optas at tu nostram! mitto. At displicet unum:
Praebere ut formam, non ita corda queo.

Αλοΐσιος Γράσσιος Ἰωσήφῳ Ῥοσσίῳ
τῷ περὶ τηλεγραφίας, ατμοκινήσεως, καὶ φωτογραφίας
ποιημάτιον

γράψαντι

Θεῖα μὲν ἀνθρώπου φασιν τὰ πνεύματα· ἐπαινῶ
  Νῦν δότα σκεψάμενοι, Ῥόσσιε, θαυμάσια.
Εἴσι μακραὶ βεβραχυμμέν' ὁδοί, καὶ κόσμον ἄνιπποι
  Ἱπτάμεθα. είν ἀτμαῖς εὑρομένη δύναμις.
Ἡμεῖς δουλοῦμεν τὰ κεράυνια πυρὰ· δι' νὐτῶν
  Νήματι μηχήστῳ τίς τινι τῆλε γράφει.
Οἴδαμεν οὐρανίου φωτὸς μυστήρια, χ' ἡμῖν
  Ὥρας ἐν στιγμῇ ζωγράφος ἐστι σοφός.
Ἀλλά τε θαυμάσιον νέα πράγματα, Ῥόσσιε, φωναῖς
  Ἀρχαίαις, κ' ἔπεσιν ταῦτα Μάρωνος ἰδεῖν.

ANTONII CAMPANELLAE CANONICI

INTERPRETATIO LATINA

Dia mente ferunt hominem pollere; ego mira,
Quae tulit haec aetas, adprobo suspiciens.
Facta brevis via longa; vaporis et insita virtus
Ut peragres orbem posthabitis dat equis.
Fulmineusque volans tenso filo ignis adactus,
Nostra refert famulus verba procul positis.
Novimus et lucis mysteria, pingere doctae
Quodcumque objectes, perbene perque cito.
At mirum est aeque describier haec nova, Rossi,
Et prisca lingua et carmine Virgilii.

DEL MEDESIMO

VERSIONE ITALIANA

Divina appelli altri dell'uom la mente;
Io plaudo agli ammirandi
Trovati, o Rossi, dell'età presente.
Le lunghe vie si raccorciaro; e senza
Destrier corriam la terra,
Pel vapore compresso in sua potenza.
Vola, a noi serva, la fulminea vampa
Per tese fila, e i nostri
Sensi lontano agli altrui sguardi stampa.
E qual misterio è dell'eterea luce,
Che sì rapida e saggia
La dipintura più fedel conduce?
Ma non meno ammirando, o Rossi, parme
Sporra i trovati novi
Con la lingua di Maro e il prisco carme.